Heinicke, Guilelmus
De Ciceronis doctrina
quae pertinet

DE CICERONIS DOCTRINA

QUAE PERTINET

AD MATERIAM ARTIS RHETORICAE ET AD INVENTIONEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

DIE XXIII MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXXXI

HORA XI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS HEINICKE

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

E. HUNDSDOERFFER, CAND. MUN. SCHOL.

L. KNIEF, CAND. PHIL.

REGIMONTI

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

LUDOVICO IEEP

ARTHURO LUDWICH

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Studio occupatus veterum scriptorum, qui de arte rhetorica egerunt, etiam ad libros a Cornificio ad C. Herennium scriptos accessi; quos cum legerem, non inutile mihi visum est ea comparare, quae Cicero cum in libris „de inventione", tum in posterioribus scriptis de singulis rebus et partibus docuit. Sed quoniam iterum atque iterum in summas difficultates, quibus plurimis Cornifici libros abundare satis constat, incidi, in dies magis opusculum desideravi, quod omnia Ciceronis praecepta de eloquentia ex omnibus eius libris rhetoricis collata contineret.

Suscepi igitur opus utile, sed etiam satis laboriosum, idque eo libentius feci, quia nuper doctissimus librorum Ciceronis editor Harnecker[1]) denuo monuit, ut talis libellus tandem componeretur.

Libere confiteor non sine sudore me rem perfecisse; nam iterum iterumque Ciceronis libros caute industrieque perlustrare et perscrutari debui, quoad omnia satis dilucide cognita et perspecta haberem eaque ita explicare posse mihi viderer, ut qui dissertationem meam inspexerit, statim omnia facillime intellegeret.

Initio vero, cum ad hanc quaestionem aggrederer, in animo fuit omnia, quae Cicero de arte rhetorica scripsit, componere, conferre, inter se comparare; sed in elaborando celerrime intellexi fore, ut propositum

1) Cicero „de oratore" ed. Piderit-Harnecker[6] Lips. 1886—1890. praef. p. 51. 60. 62.

peragere non possem, quia, si tantam, paene immensam materiam paullo accuratius et diligentius tractare vellem, me, nisi leviter omnia percurrerem, longius ultra modum dissertationis progredi oporteret. Quare quodammodo Ciceronem iuvenilem imitatus praeter materiam oratoriam artem inventionis pertractavi. Reliqua autem praecepta rhetorica, quae omnia ex Ciceronis scriptis excerpta in commentarios meos rettuli, paullo post elaborata artificioseque redacta me editurum esse spero.

Caput primum.

De partitione materiae oratoriae.

In primo librorum „de inventione" Cicero materiam oratoriam in tria genera distribuit: in genus demonstrativum, deliberativum, iudiciale; in eaque partitione Aristotelem sequi sibi visus est, id quod de inv. I, 5,7[1]) his verbis expressit: „Aristoteles autem, qui huic arti plurima adiumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali . . . . Et, quemadmodum nostra fert opinio, oratoris ars et facultas in hac materia tripertita versari existimanda est;" et eadem de inv. I, 7,9 repetivit, cum diceret: „Quare materia quidem nobis rhetoricae videtur artis, quam Aristoteli visam esse diximus." Sed in hac re erravit nec recte intellexit, quae praeclarissimus ille philosophus sensisset, ut iam Bader[2]) et Volkmann[3]) luce clarius demonstraverunt. Nam noster tria illa genera, quae supra attulimus, materiam artis appellavit, Aristoteles autem, ut Bader dixit, „rhetoricam neque civili rationi subiunxit, neque materiam eius aliam fecit ac Gorgias", antiquissimus ille rhetor Leontinus, qui omnibus de rebus oratorem optime posse dicere statuerat; et haec quidem cognoscimus ex Aristotelis libro, qui inscribitur „τέχνη

1) Libros „de inventione" ex Friedericiana recognitione [Lips. 1884] citavimus, reliqua autem Ciceronis scripta ex recensione Orellii et Baiteri [Tur. 1844].

2) „De Ciceronis rhetoricorum libris." Diss. inaug. Gryph. 1879 p. 2—3.

3) „Rhetorik der Griechen und Römer" ²p. 20.

ῥητορική",[1]) ubi A. 2. (p. 5) scripsit: „Ἔστω δὴ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν . . . ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ δοθέντος ὡς εἰπεῖν δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν, διὸ καί φαμεν αὐτὴν οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν." Non recte igitur Cicero sententiam Gorgiae reiecit de inv. I, 5,7. Atque etiam Hermagoram iniuria reprehendit, cum de inv. I, 6,8 de eo diceret: „Nam Hermagoras quidem nec quid dicat attendere nec quid polliceatur intellegere videtur, qui oratoris materiam in causam et in quaestionem dividat, causam esse dicat rem, quae habeat in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione; . . . quaestionem autem eam appellet, quae habeat in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione."

Hermagoras igitur materiam oratoriam in causam et in quastionem, i. e. in quaestiones finitas et infinitas diviserat; est autem quaestio finita, sicut causa, „res, quae habet in se controversiam in dicendo positam cum personarum certarum interpositione", sive, ut Antonius eam definivit de or. II, 10,42, res, in qua „quid in personis et in constituta re et definita" quaeritur; sed quaestio infinita, quae de inv. I, 6,8 simpliciter „quaestio" vocatur, „habet in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione eaque Antonio de or. II, 10,42 res esse videbatur, „in qua aliquid generatim quaereretur". Inde apparet Hermagoram oratorem omnibus de rebus dicere posse statuisse materiamque oratoriam infinitam putavisse.

Sed Cicero in vitiosa, quam adulescens habebat, sententia non perstitit, maximique momenti est videre, quomodo in iis libris rhetoricis, quos scripsit cum longius

1) „Aristotelis ars rhetorica" ed. Spengel. Lips. 1867.

aetate provectus esset, paullatim sese ad partitionem Hermagoream applicaverit eamque ad extremum omnino suam fecerit.[1])

Atque ad eam quidem sententiam, quam aperuit in libris „de inventione“, proxime accedunt quae Antonius in altero librorum „de oratore“ inscriptorum de partitione materiae rhetoricae docuit. Is enim quaestiones infinitas, quas Crassus graeca ratione recepisset, oratori plane tribuere noluit, sed eas magna ex parte procul ab oratoris officio remotas esse putavit, id quod cognoscitur ex pluribus locis. Sic de or. II, 15, 65 haec Antonii verba invenimus: „Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique [ut etiam Crassus ostendit] duo genera ad dicendum dederunt: unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes; alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore et sine persona quaestionem. Hoc quid et quantum sit, cum dicunt, intellegere mihi non videntur.“ Cum tali modo nullum genus orationis exceptum esset, quaestiones infinitas ad certa quaedam genera redegit eaque paullo post, de or. II, 16, 68, ita complexus est: „Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in ratione rei publicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto.“ Sed ne ea quidem ita necessaria esse existimavit, ut ab omnibus oratoribus tenerentur, veramque suam sententiam de quaestionibus infinitis de or. II, 16, 70 exposuit, ubi est: „. . . arbitror in hac sive ratione sive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de re publica,

1) Cfr. Spengel Rh. M. XVIII p. 499.

aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polyclitum illum, cum Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiamsi haec nunquam separatim facere didicisset;" quibus cum verbis conferenda sunt, quae de or. II, 17, 73 dixit: „In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut tanquam Phidias Minervae signum efficere possit, non sane, quemadmodum, ut in clipeo idem artifex, minora illa opera facere discat, laborabit." Deinde etiam de or. II, 19, 77—78 de partitione materiae in causam et quaestionem egit eamque perridiculam esse dixit; legimus enim l. c.: „Sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. 78. Dividunt enim totam rem in duas partes, in causae controversiam et in quaestionis. Causam appellant rem positam in disceptatione reorum et controversia; quaestionem autem rem positam in infinita dubitatione. De causa praecepta dant; de altera parte dicendi mirum silentium est." Tum de eadem re disputavit de or. II, 31, 133 simili ratione: „Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magno opere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum; constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum: unum appellant, in quo sine personis atque temporibus de universo genere quaeratur; alterum, quod personis certis et temporibus definiatur; ignari omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri." Denique non silentio praeterire volumus Antonium iam initio libri [II, 10, 41 sequ.] illius distributionis men-

tionem fecisse, cum ea, quae Crassus in primo libro praeceperat, breviter repeteret.

Priusquam pergamus, paucis verbis Antonii sententiam comprehendere nobis liceat: Ex locis modo citatis apparet eum partitionem materiae in causam et in quaestionem omnino improbavisse propterea, quod omnes quaestiones finitas ad genus universum traducendas esse existimavit, id quod de or. II, 31, 133, ut modo vidimus, aliisque locis praecepit; nam etiam de or. II, 31, 134 legimus: „Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, reorum personis ac non generum ipsorum universa disputatione quaeratur;“ et similiter de or. II, 31, 135: „Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne pecunias contra leges P. Decius, argumenta et criminum et defensionis revocentur oportet ad genus et ad naturam universam: . . . contraque quae pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque homine ad communes rerum et generum summas revolventur.“ Tum de or. II, 32, 138 eandem Antonii sententiam reperimus his verbis: „Ac, si quid affert praeterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quaestionem est et ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est.“ Denique eadem ab oratore poposcit de or. II, 32, 140, quo ex loco satis dilucide cognosci potest, quid de quaestionibus infinitis earumque tractatione oratoria senserit; docuit enim illico Cottam et Sulpicium hoc modo: „quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum; est enim infinita, si in personis ponitur; quot homines, tot causae: sin ad generum universas quaestiones referuntur ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope dicam decantatas habere debeant.“

Atque in hoc uno, quaestiones finitas ad infinitarum quaestionum vim et naturam transferendas esse, cum Crasso et Cicerone Antonius plane consensit; attamen nec Crassus nec Cicero in posterioribus libris rhetoricis distributionem materiae in causam et in quaestionem ab Hermagora ceterisque rhetoribus graecis factam accipere dubitavit, ut ex iis, quae sequuntur, facile cognoscemus.

Crassus enim, ut iam in transcursu, cum de Antonio ageremus, tetigimus, materiam oratoris infinitam esse putavit. Itaque ea, quae ipse nimirum a Graecis hac de re didicerat, de or. I, 31, 138 hoc modo docuit: „... deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata.“ Atque ut hoc loco materiam artis in quaestiones infinitas et finitas distribui comprobavit, ita in tertio libro eos illusit, qui de arte rhetorica praeciperent, infinitas autem quaestiones non tractarent; dixit enim de or. III, 20, 75—76 „... atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere et de principiis et de narrationibus. 76. Illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat, eadem mores, leges, iura describat, rem publicam regat, omnia, quae ad quamcunque rem pertineant, ornate copioseque dicat.“ Eamque sententiam, quam his verbis aperuit, etiam de or. III, 28, 109—110 retinuit, ubi de Peripateticis et Academicis haec verba fecit: „Dicunt ... omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut de finita controversia certis temporibus ac reis ... aut infinite de universo genere quaerentis: Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit? Atque horum superius illud genus causam

aut controversiam appellant eamque tribus, lite aut deliberatione aut laudatione definiunt: haec autem altera quaestio infinita et quasi proposita, consultatio nominatur. ... 110 ... illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent ... alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant et oratoris esse dicunt; sed neque vim neque naturam eius nec partes nec genera proponunt, ut praeteriri omnino fuerit satius quam attentatum deseri."

Et ne illud quidem silentio praetereundum est, quod Crassus de causarum ad quaestiones traductione senserit, quoniam supra eum in hac re non ab Antonio dissidere commemoravimus; dixit igitur de or. III, 30, 120: „Ornatissimae sunt igitur orationes eae, quae latissime vagantur et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt...."

Itaque videmus Crassum infinitam eloquentiae materiam, i. e. omnes quaestiones et infinitas et finitas, ab oratoribus tractari voluisse; eumque hac de re a Cicerone non dissensisse, pluribus ex locis eorum librorum rhetoricorum, quos ille post libros „de oratore" scripsit, facile intellegere possumus. Sic Brut. 93, 322 sibi ipsi, quia controversiam a propriis personis ac temporibus avocasset, hac ratione laudem tribuit: „nemo [sc. erat], qui dilatare posset atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem traducere." Atque eadem quoque oratori summo et perfecto facienda esse existimavit or. 14, 45, quo loco scripsit: „... quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam;" et similiter ea expressit or. 36, 126: „Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod graece *κρινόμενον* dicitur, id ita dici

placet, ut traducatur ad perpetuam quaestionem atque ut de universo genere dicatur.“ In hoc quoque libro falsam illam de Aristotelis partitione sententiam, quam de inv. I, 5, 7, aperuit, ipse correxit, id quod luce clarius apparet ex his verbis, quae exstant or. 14, 46: „Haec igitur quaestio a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta appellatur *θέσις*. In hac Aristoteles adulescentes non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem ut ornatius et uberius dici posset, exercuit.“ Sed etiam in „partitione oratoria“ reperimus illam materiae distributionem, quam adulescens in Hermagora reprehenderat; nam de part. or. 1, 4 respondit Cicero filio quaerenti, quasnam partes haberet quaestio: „Infinitam, quam consultationem appello, et definitam, quam causam nomino;“ eadem partitio exhibetur de part. or. 18, 61, ubi haec filium docuit: „Duo sunt, ut initio dixi, quaestionum genera, quorum alterum finitum temporibus et personis causam appello, alterum infinitum nullis neque personis neque temporibus notatum propositum voco. Sed est propositum quasi latior pars causae quaedam. Inest enim infinitum in definito et ad illud tamen referuntur omnia.“ Consultationum autem ad causas translationem de part. or. 30, 106 commemoravit, quo loco: „Ita“, inquit, „disceptationes eae, quae in his controversiis oriuntur, quae sunt certis personis et temporibus notatae, fiunt rursus infinitae detractisque temporibus et personis rursum ad consultationis formam rationemque revocantur.“ Quae denique in „topicis“ hac de re scripsit, cum iis, quae modo protulimus, iterum optime consentiunt; legimus enim top. 21, 79—80: „Quaestionum duo [sunt] genera, alterum infinitum, definitum alterum. Definitum est, quod *ὑπόθεσιν* Graeci, nos causam; infinitum, quod *θέσιν* illi appellant, nos

propositum possumus nominare. 80. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur aut in omnibus aut in plerisque eorum; propositum autem in aliquo eorum aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propositum pars est causae. Sed omnis quaestio eorum aliqua de re est, quibus causae continentur, aut una aut pluribus aut nonnunquam omnibus."

Iam, si respicimus ad ea, quae adhuc de quaestionibus diximus eaque breviter comprehendimus, haec invenimus: In libris „de inventione" Cicero Hermagoram reprehendit, quia materiam artis rhetoricae in causam et in quaestionem divisit, et ipse eloquentiam in his tribus generibus versari arbitratus est: in genere demonstrativo, deliberativo, iudiciali. In libris „de oratore" autem Crassus et Antonius inter se pugnant; nam alter ad Hermagorae sententiam accessit, alter haud immemor eorum, quae noster in libris „de inventione" scripsit, partitionem materiae in quaestiones infinitas et finitas reiecit.[1]) In reliquis denique libris rhetoricis Cicero Hermagoram secutus est materiamque artis, sicut ille, distribuit in quaestiones infinitas = θέσεις, quas tum simpliciter „quaestionem" seu „consultationem", tum „propositum" seu „propositam consultationem" appellavit, et in quaestiones finitas = ὑποθέσεις, quae ab eo aliis locis „causa", aliis „controversia" vocantur; cumque quaestiones infinitas in duo genera distribueret: unum cognitionis, alterum actionis, quaestionibus finitis tria

1) Repetamus hoc loco, quae iam supra [p. 9] commemoravimus: Cicero in libris „de oratore" Crassum fecit ea dicentem, quae ipse adulescens vel senex sensit quaeque puer vel adulescentulus saepius reprehenderat. Quapropter, ut in aliis quaestionibus, ita in hac quoque materiae partitione Cicero senex cum Crasso consensit, cum Antonius ea explicaret, quae noster in libris „de inv." hac de re scripserat.

genera subiunxit: genus demonstrativum, deliberativum, iudiciale.

A. De quaestionibus infinitis.

Cur Cicero de quaestionum infinitarum partitione ac tractatione nusquam aliquid praeceperit, nisi in tertio librorum „de oratore", in libro „de partitione oratoria", in „topicis", satis facile perspicitur: In libris „de inventione" enim partitionem materiae in quaestiones infinitas et finitas omnino, ut paullo ante vidimus, reiecit; idem fecit Antonius in altero librorum „de oratore", cum in primo illius operis libro Crassus eam cum statibus coniunxisse videatur, quos illico [I, 31, 139] utrique quaestioni et infinitae et finitae subiecit; in Bruto autem, ubi Cicero historiam oratorum clarorum tractavit, multoque magis in libello „de optimo genere oratorum", quem Cicero, ut scimus, praefationem esse voluit illarum Demosthenis et Aeschinis orationum, quas in latinum sermonem convertere cogitavit, ei occasio ad hanc rem explicandam non data est.

In libris „de oratore" autem de quaestionibus infinitis et definitis a Crasso et Antonio pluribus locis disputatum esse alterumque de hac re cum altero non consensisse iam non ignoramus. At illud imprimis hoc loco commemorandum est utrumque Graecos reprehendisse, quia nemo eorum de quaestionibus infinitis praecepta dedisset, quamquam omnes materiam in causam et quaestionem distribuissent; atque hos quoque locos [de or. II, 15, 65; 19, 78: III, 28, 110] supra ad verbum in textum recepimus, cum Antonii et Crassi sententias de quaestionibus proportione coniungeremus: quare eorum denuo mentionem fecisse satis esse putamus.

Itaque, ne in eandem vituperationem veniret, in quam rhetores Graeci inciderant, Cicero et Crassum de

quaestionibus infinitis copiosius agentem atque accuratius praecipientem fecit, et ipse eas non sine multa diligentia duobus locis tractavit.

Nunc vero primum referre volumus, quid Crassus de or. III, 29,111—30,118 de quaestionum infinitarum partitione docuerit, quibuscum statim conferantur, quae Cicero top. 21,81—22,86 de eadem re praecepit, id quod propterea optimum esse putamus, quia partitio his locis plane eadem est. Est igitur explicatio haec:

de or. III, 29,111—30,118:	top. 21,81—22,86:
29,111: „Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quaeri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur sive in eis causis, quae in civitate et in forensi disceptatione versantur; neque est ulla, quae non aut ad *cognoscendi* aut ad *agendi* vim rationemque referatur. 112. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur . . .	21,81. Quaestionum autem, quacumque de re sunt, duo [sunt] genera: unum *cognitionis*, alterum *actionis*. 82. Cognitionis sunt eae, quarum est finis scientia . . .
aut agendi consilium exquiritur . . .	Actionis autem huiusmodi exempla sunt: Sitne sapientis ad rem publicam accedere.
113. *Cognitionis* autem tres modi, coniectura, definitio, et, ut ita dicam, consecutio. Nam quid in re sit coniectura quaeritur . . . Quam autem vim quaeque	*Cognitionis* quaestiones tripertitae sunt: aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur. Horum primum coniectura, secundum definitione, tertium iuris et in-

res habeat, definitio explicat . . . Consecutio autem tractatur, cum, quid quamque rem sequatur, anquiritur . . .

114. Redeunt rursus ad coniecturam eamque in quattuor genera dispertiunt. Nam aut quid sit, quaeritur . . . aut, quae sit origo cuiusque rei . . . aut causa et ratio . . . aut de immutatione.

115. Definitiones autem sunt disceptationes, aut, cum quaeritur, quid in communi mente quasi impressum sit . . . aut, cum, quid cuiusque sit proprium, exquiritur . . . aut, cum res distribuitur in partes . . . aut, cum quae forma et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur . . .

116. Consecutionis autem duo prima quaestionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio . . . aut ex comparatione . . . Simplicium autem sunt tres modi: de expetendis fugiendisve rebus . . . de aequo aut iniquo . . . de honesto aut turpi117. Com- . . .

iuriae distinctione explicatur.

Coniecturae ratio in quattuor partes distributa est, quarum una est, cum quaeritur, sitne aliquid; altera, unde ortum sit; tertia, quae id causa effecerit; quarta, in qua de mutatione rei quaeritur.

22,83. Cum autem, quid sit, quaeritur, notio explicanda est et proprietas et divisio et partitio. Haec enim sunt definitioni attributa; additur etiam descriptio, quam χαρακτῆρα Graeci vocant.

84. Cum autem quaeritur, quale quid sit, aut simpliciter quaeritur aut comparate: . . .

Simplicium tria genera sunt: de expetendo fugiendoque; de aequo et iniquo; de honesto et turpi.

Com-

parationis autem duo sunt modi: unus, cum, idemne sit an aliquid intersit, quaeritur . . . alter, cum, quid praestet aliud alii, quaeritur . . .	parationum autem duo: unum de eodem et alio, alterum de maiore et minore.
Atque eae quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur.	85. . . . De cognitionis quaestionibus hactenus.
30,118. Quae vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur . . . aut in animorum aliqua permotione aut gignenda aut sedanda tollendave . . .“	86. Actionis reliquae sunt [sc. quaestiones], quarum duo genera: unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum vel sedandum planeve tollendum.“

Tertio loco, ubi Cicero fusius et copiosius de quaestionibus infinitis egit, eandem partitionem generalem, quam ex iis, quae antecedunt, cognovimus, adhibuit, nonnullas autem partium minorum partim contraxisse, partim praetermisisse videtur. Sed optime mutationes illae animadvertentur, si ipsius verba eadem ratione, qua antea usi sumus, attulerimus. Scripsit igitur de part. or. 18,62—19,67: „Quamobrem prius de proposito dicamus: cuius genera sunt duo, cognitionis alterum; eius scientia est finis . . . alterum actionis; quod refertur ad efficiendum quid . . . Rursus superioris genera sunt tria: sit necne sit, quid sit, quale sit. . . . 63. Actionis autem duo sunt genera: unum ad persequendum aliquid aut declinandum . . . alterum, quod ad aliquod commodum usumque refertur . . . 64. Rursus autem ex cognitionis consultatione, ubi, sit necne sit aut fuerit

futurumve sit, quaeritur, unum genus est quaestionis, possitne aliquid effici . . . alterum, quemadmodum quidque fiat . . . 19,65. Illius autem generis, in quo, quid sit id, de quo agitur, quaeritur, duo sunt genera; quorum in altero disputandum est, aliud an idem sit . . . in altero autem descriptio generis alicuius et quasi imago est exprimenda . . . 66. Tertio autem in genere, in quo, quale sit, quaeritur, aut de honestate aut de utilitate aut de aequitate dicendum est . . . Atque in hoc eodem genere, in quo, quale sit quaeritur, exoritur aliud quoddam disputandi genus. Non enim simpliciter solum quaeritur, quid honestum sit, quid utile, quid aequum, sed ex comparatione etiam, quid honestius, quid utilius, quid aequius, atque etiam, quid honestissimum, quid utilissimum, quid aequissimum . . . Atque ea quidem, quae dixi, cognitionis sunt omnia. 67. Restant actionis: cuius alterum est praecipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet . . ; alterum autem ad sedandos animos et oratione sanandos . . . Cui quidem generi contrarium est disputandi genus ad eosdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione saepe faciendum est, vel gignendos vel concitandos. Atque haec fere est partitio consultationum.“

Sed comparemus inter se quae modo ex Ciceronis scriptis excerpsimus et exploremus, quatenus auctor sibi non constiterit. Contraxit igitur de part. or. 18,64 sub ea parte, cui nomen „coniecturae“ aliis locis indiderat, quaestiones „unde ortum sit“, „quae id causa confecerit“, „de immutatione“ in quaestionem „quemadmodum quidque fiat“; item „notionem“, proprietatem“, „descriptionem“, quae sunt partes „definitionis“, de part. or. 19,65 una „descriptione“ significavit; „divisionem“ autem illic omnino omisit, nisi vero eam descriptioni subiecit. Denique quaestionem „aliud an idem sit“ de

part. or. 19,65 definitioni attribuit, cum eam et de or. III, 19,116 et top. 22,84 in „consecutionis“ vel „iuris et iniuriae distinctionis“ partibus enumerasset.

Sed, quaecunque sunt sive contractiones sive mutationes partium non ita gravium, eae nos impedire non possunt, quominus partitionem quaestionum infinitarum ex iis, quos supra attulimus, locis satis dilucide percipiamus.

B. De quaestionibus finitis.

Omnibus locis, ubi Cicero de quaestionibus finitis distinctius disputavit, eas in tria genera divisit: in genus demonstrativum, deliberativum, iudiciale. Sic de or. I, 31,141 haec Crassi verba legimus: „Sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus; esse etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur;“ et Antonius de or. II, 10,42—43, dixit: „certum autem, in quo quid in personis et in constituta re et definita quaereretur; cuiusmodi sunt quae in foro atque in civium causis disceptationibusque versantur. 43. Ea mihi videntur aut in lite oranda aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est et, ut audio, ille ipse Aristoteles . . . adiunxit, etiamsi opus est, minus est tamen necessarium.“ [Dicit de genere demonstrativo.] Quibuscum plane consentit eiusdem explicatio, quam invenimus de or. II, 15,65: „unum [sc. genus] de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes.“[1]) Tum Crassus de or. III, 28,109 eadem ratione causas distribuit, cum diceret: „Atque horum

1) Etsi Antonius his locis genus demonstrativum quodammodo reicere videtur, tamen de eo accurata et diligentia praecepta dedit [de or. II, 84,341—85, 349], de quibus infra nobis dicendum est.

superius illud genus causam aut controversiam appellant eamque tribus, lite aut deliberatione aut laudatione definiunt." Etiam in libro „de partitione oratoria" duobus locis eandem causarum distributionem Cicero pater filium docuit; quorum alterum, de part. or. 3,10—4,11, paullo post accuratius tractare debemus eamque ob rem hoc loco, ubi eius mentio facienda erat, praetereamus, alterum statim in medium proferre volumus; reperimus enim de part. or. 20,69—70 hanc explicationem: „69. Et earum [sc. causarum] quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium; alterius, ut obtineat, probet et efficiat quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius exornatio dicitur; . . . Reliquum autem genus causarum aut in provisione posteri temporis aut in praeteriti disceptatione versatur; quorum alterum deliberationis est, alterum iudicii. 70. Ex qua partitione tria genera causarum exstiterunt: unum, quod a meliore parte laudationis est appellatum, deliberationis alterum, tertium iudiciorum." Brevissimam autem huius rei expositionem dedit top. 24,91 his verbis: „Tria sunt igitur genera causarum: iudicii, deliberationis, laudationis."

In libris[1]) autem, qui ei „puero aut adulescentulo ex commentariolis suis inchoata et rudia exciderunt"[2]) Cicero tria illa genera, ut iam supra a nobis demonstratum est, falso materiam artis rhetoricae esse putaverat, qua in re Aristotelem sequi sibi visus erat. Atque, ut adulescens de inv. I, 5, 7 et I, 7, 9 praeclarissimum illum philosophum secutus est, ita ne senex quidem in „partitione oratoria", quam scripsit anno a. Chr. n. 46. vel 45 paullo ante mortem suam, ab eo dissensit, sed eandem partitionem, qua ille usus est, paene ad verbum transtulit.

1) de inv. I, 5, 7. II, 4, 12.
2) de or. I, 2, 5.

Aristoteles enim tria illa genera *λόγων ῥητορικῶν* distinctione auditorum, apud quos dicitur, construxit, ut ipse dixit *Τέχνη ῥητ.* A 3 (p. 11):[1]) „*Ἔστι δὲ [τῆς ῥητορικῆς εἴδη] τρία τὸν ἀριθμόν· τοσοῦτοι γὰρ καὶ οἱ ἀκροαταὶ τῶν λόγων ὑπάρχουσιν ὄντες. Σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἔκ τε τοῦ λέγοντος καὶ περὶ οὗ λέγει καὶ πρὸς ὅν, καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστι, λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν. Ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν ἢ θεωρὸν εἶναι ἢ κριτήν, κριτὴν δὲ ἢ τῶν γεγενημένων ἢ τῶν μελλόντων. Ἔστι δ' ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων οἷον ἐκκλησιαστής, ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων οἷον ὁ δικαστής, ὁ δὲ [περὶ] τῆς δυνάμεως [ὁ] θεωρός, ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν.*“ Eandem deductionem etiam Cicero suam fecit de part. or. 3, 10: „Auditorum eam [sc. causam] genere distingui. Nam aut auscultator modo est qui audit aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator; ita aut, ut delectetur, audit, aut ut statuat aliquid. Statuit autem aut de praeteritis, ut iudex, aut de futuris, ut senatus; sic tria haec genera, iudicii, deliberationis, exornationis; quae, quia in laudationem maxime confertur, proprium habet iam ex eo nomen.“[2])

In trium orationis generum nominatione autem Cicero, ut vidimus, sibi non constabat; sic pro genere „iudiciali“ de or. II, 10, 43 liberius dixit „in lite oranda“, vel de or. II, 15, 65 tantum „in litibus“, seu de or. III, 28, 109 „lite“; pro „in deliberatione“ de or. II, 10, 43 „in consilio dando“ scripsit; pro genere „demonstrativo“ denique de or. II, 10, 43 „laudationes“, quo vocabulo etiam de or. II, 15, 65; III, 28, 109; de part. or. 20, 70; 21, 71 usus est, cum de part. or. 3, 10 et 4, 11 ex

1) ed. Spengel p. 11. 2) cfr. de part. or. 20, 69—70.

illius generis argumento simpliciter id „exornationem“ nominaret.

Sed videamus, quas definitiones horum generum noster dederit. Invenimus eas de inv. I, 5, 7, quo loco haec scripta sunt: „Demonstrativum est, quod tribuitur in alicuius certae personae laudem aut vituperationem; deliberativum, quod positum in disceptatione civili habet in se sententiae dictionem; iudiciale, quod positum in iudicio habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem.“

De definitionibus, quae ad iudicia et deliberationes pertinent, nihil habemus quod proferamus. Sed de genere demonstrativo dubitatur. Volkmann enim Ciceronem sibi ipsi repugnasse dixit, cum historiam generi demonstrativo, cuius definitionem modo supra e libro „de inventione“ attulimus, altero loco attribuisset, altero ab oratore separavisset.[1]) At nostra sententia Cicero historiarum scriptionem nusquam generi demonstrativo subiecit. Cuius rei comprobandae causa de locis ab illo viro doctissimo collatis brevem quaestionem habebimus.

Primo igitur loco ponimus or. 11, 37: „ . . . laudationum [scriptionum] et historiarum et talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum multique alii, qui sunt nominati sophistae, reliquarumque rerum formam,

---

1) Volkmann: „Rhetorik der Griechen und Römer“ ² p. 24: „Vielmehr verstand Rufus unter dem γένος ἱστορικόν in der That nichts anderes, als die rhetorisirende Geschichtsschreibung, wie sie durch die Schule des Isokrates namentlich bei Theopompos herrschend geworden war und die ja auch Cicero or. 11, 37; 61, 207; vgl. de or. II, 9, 36 offenbar nach griechischem Vorgange (vgl. Marcellin. v. Thucyd. 41) mit zur epideiktischen Gattung der Beredsamkeit rechnet, während er freilich or. 20, 68 die Beredsamkeit der Geschichtsschreiber von derjenigen der Redner ausdrücklich trennt.“

quae absunt a forensi contentione eiusque totius generis, quod graece ἐπιδεικτικὸν nominatur . . . non complectar hoc tempore." Vocabulum „scriptionum", quod uncis inclusum supra scriptum est, sed fuit in codice Laudensi, quid sibi velit intellegi non potest; quare Sauppe[1]) quem Heerdegen in „oratoris" editione[2]) secutus est, quia particula copulativa „et" non antecederet, a grammatico quodam adscriptum esse putavit, ut explicaret, quales suasiones essent ab Isocrate factae. Et Mützell[3]) quidem proposuit coniecturam „laudationum scriptionem"; sed recte Sauppe eam reiecit, quia hoc loco non tam de scriptis, quam de habitis orationibus cogitatum esset. Quae cum ita sint, non video, quo modo „scriptionum" illud in contextu possit retineri. Quo deleto verba „laudationum et historiarum et suasionum" ad panegyricum referenda esse patet, in quo Isocrates, cum res ab Atheniensibus bene gestas temporum ordine servato narraret virtutesque eorum summis laudibus efferret, Graecos ad concordiam et ad bellum contra Persas communiter suscipiendum hortatus est; non autem ad rationem pertinent, qua historici scriptores memoriam rerum gestarum produnt. Eodem certissime modo historia res gestas, non earum scriptionem significat de or. II, 9, 36.

Altero loco, quem Volkmann laudavit, multo magis erravit; nam illic Cicero historiam non modo cum genere demonstrativo non coniunxit, sed disiunxit, cum scriberet or. 61, 207: „Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus hoc, quod in causis foroque versatur, de quo diceremus. Ergo in aliis, id est, in historia et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν, placet omnia dici

1) Sauppe: „Coniecturae Tullianae" p. 10.
2) Lipsiae 1884 in aedibus B. G. Teubneri.
3) Mützell in diurnis rebus gymnas. destinatis 1850, p. 606.

Isocrateo Theopompeoque more . . .".[1]) Si historiam, id est, rerum memoriam generi demonstrativo subiungere voluisset, certissime, ut supra or. 11, 37, ita hoc quoque loco dixisset: „et in toto eo, quod appellamus ἐπιδεικτικόν" sive similia.

Iam conveniunt loci, quos modo perscrutati sumus, optime cum or. 20, 68: „Seiunctus igitur orator a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poetarum explicandus est nobis qualis futurus sit," et cum or. 36, 124: „Narrationes credibiles, nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide." Propterea quoque, quia historia non pars officii oratoris est, quamvis saepe ea in orationibus non sine incommodo adhibetur, Antonius de or. II, 15, 62 dicere potuit: „neque eam [sc. historiam] reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis."

Ergo Cicero a se non dissedit, id quod Volkmann arbitratus est, sed nihil aliud fecit, nisi quod notionem generis demonstrativi posterioribus temporibus, cum iam longius provectus esset aetate, amplificavit.

Restat, ut de finibus trium generum illorum agamus. In iudiciis „quid aequum sit"[2]) sive „aequitas"[3]) quaeritur, sive „ius, cuius partes tum expositae, cum aequitatis".[4]) Quod de part. or. 4, 11 oratori praescribitur, ut in iudicio aut saevitia aut clementia iudicis excitari debeat, non mirandum est, cum illae affectiones, ut e partitione generis iudicialis in petitionem et recusationem apparet, ad accusatoris vel defensoris officium pertineant; quae cum ita sint, constat Ciceronem hoc loco nihil aliud spectasse atque ceteris locis, cum illis verbis ae-

1) Cfr. Quint.: „inst. or." X, 1, 74.
2) de inv. II, 4, 12.
3) de inv. II, 51, 156. de or. I, 31, 141. de part. or. 28, 98.
4) top. 24, 91.

quitatem generis iudicialis finem esse non negaret neque eam excluderet.

In deliberationibus Aristoteles Ciceroni adulescentulo non satisfecit, cum utilitatem earum finem esse diceret. Itaque de inv. II, 4, 12 haec scripsit: „. . . in deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honestum sit et quid utile [sc. quaeritur]. Nam ceteri utilitatis modo finem in suadendo et in dissuadendo exponi oportere arbitrati sunt.“ Item „honestatem et utilitatem“ poposcit de inv. II, 51, 156; 52, 158; de or. II, 82, 335; in reliquis autem libris rhetoricis[1]) nihil nisi utilitatem expetendam esse dixit. Quod Cicero adulescens ab Aristotele in hac re dissentiret honestatemque cum utilitate coniunctam oratori quaerendam esse doceret, factum est ex eo, quemadmodum nostra fert opinio, quod ipse orator non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitit.[2]) Cum autem in libris rhetoricis, quos aetate iam corroborata scripsit, utilitatem modo orationis deliberativae finem esse diceret, certissime illud ante oculos habebat, quod exhibetur de off. III, 4, 20: „. . . quicquid honestum est, idem utile videtur, nec utile, quod non honestum . . .“ Officium autem oratoris in suadendo est aut spem aut reformidationem deliberantis excitare,[3]) prout illud, de quo disputatur, ipse fieri vult aut non vult.

In genere demonstrativo denique, quod quasi incunabula oratoris vocatur or. 13, 42, explicandum est, quid „honestum“[4]) sit, vel „honestas“,[5]) in eoque est

---

1) de or. I, 31, 141. top. 24, 91. de part. or. 24, 83.

2) or. 3, 12. de part. or. 40, 139.

3) de part. or. 4, 11.

4) de inv. II, 4, 12.

5) de inv. II, 51, 156. top. 24, 91. de part. or. 21, 71.

oratoris eorum, apud quos dicit, animis et mentibus delectationem afferre.[1])

De statibus.

Venimus nunc ad partes, in quas Cicero tria illa genera, quae qualitate orationis exsistunt, partitus est quasque nomine statuum significare solemus.

Sed priusquam de ipsis statibus dicamus, de loco, quo optime aptissimeque de iis agatur, disputandum est. Cicero in primo librorum „de inventione" de iis disseruit, postquam partes officii oratorii, id est: inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem enumeravit et definivit [de inv. I, 8, 10—14, 19]. De or. I, 31, 139 vero Crassus eos quaestionibus infinitis et finitis, cum partes utriusque esse eos arbitraretur, adnexit. Item Antonius de or. II, 24, 104 eos tractavit priusquam ad primam partem officii oratorii, i. e. ad inventionem pervenit. In tertio autem huius operis libro [III, 19, 70] Crassus eos accuratius non explicavit, sed leviter tantum et quasi in transcursu, cum de philosophia diceret, earum mentionem fecit. Quo loco autem in „oratore" de statibus disputaverit, nihil attinet, quoniam, ut ipse pluribus locis[2]) dixit, in hoc scripto non praecepta dare, sed quasi imaginem oratoris plane perfecti vereque eloquentis ante oculos proponere voluit, quare in hoc libro omni opera et diligentia id studuit, ut ceteris rebus et partibus postpositis unam elocutionem quam copiosissime pertractaret. Restant libri „de partitione oratoria" et „topica"; in utroque Cicero status quaestionibus, finitis subiunxit, ita, ut quasi partes quaestionum finitarum, sicut paullo post videbimus, partibus quaestionum infinitarum responderent.

---

25) or. 11, 37. de part. or. 4, 11.

26) or. 14, 43; 17, 55; 31, 112; 33, 117; 35, 123; 41, 141.

Constat igitur Ciceronem in loco, quo de statibus disseruit, eligendo variasse; id unum autem videmus eum in omnibus scriptis rhetoricis de iis egisse, antequam de parte quadam officii oratorii accuratius et exquisitius disputare inciperet; nam, ut supra diximus, illum locum „oratoris“ [14,45], ubi status sub „inventione“ leviter tetigit, excipere debemus. Et hactenus de Cicerone.

Ex recentiorum autem numero, qui de veterum artibus rhetoricis scripserunt, primo loco nominandus est Volkmann,[1]) cuius libros summam utilitatem nobis praebere negare non possumus; attamen dubitamus, num eos in hac re, de qua quaerimus, sequi liceat; agitur enim in iis de statibus sub „inventione“, quam primam partem officii oratoris esse scimus, cum Cicero, ut paullo ante dictum est, eos nusquam nisi in „oratore“ sub materia artis pertractaret. Item non eum locum accipere possumus, quo Harnecker[2]) in praefatione editionis suae status collocavit; nam is eundem ordinem adhibuit, quo Crassus de or. I, 31, 138 sequ. usus est, i. e. primum de quaestionibus infinitis et finitis dixit, deinde de statibus, quos utrique quaestioni subiunxit, tum de tribus illis generibus, demonstrativo, deliberativo, iudiciali, post de partibus officii oratoris, ad extremum de partibus orationis. Bader[3]) autem in dissertatione sua de constitutionibus egit, ubi Ciceronis praecepta cum iis, quae in Cornifici arte rhetorica inveniuntur, comparavit, sed tum demum, postquam exposuit, quae uter-

---

1) „Die Rhetorik der Griechen und Römer“ ² Lips. 1885. „Rhetorik der Griechen und Römer“ in „Hdbch. d. kl. Altertumsw.“ ed Iv. v. Müller ² Mon. 1890; vol. II, p. 639—676.

2) Cicero: „de oratore“ ed. Piderit-Harnecker. ⁶ Lips. 1886—1890.

3) „De Ciceronis rhetoricorum libris.“ Diss. inaug. Gryph. 1869.

que de exordio, de narratione, de conclusione docuerit. Thiele[1]) denique constitutiones in altero dissertationis suae capite, quod inscripsit „confirmationis et confutationis praeceptorum ἀνάλυσις“ absolvit; in tertio autem capite, „de Cornifici et Ciceronis artium rhetoricarum compositione“ superscripto Quintilianum probavit, quia expositionem statuum, quae ab illis sex orationis partibus separanda esset, sub „dispositione“ daret.

Nos autem in hac re illos viros doctos sequi non possumus, sed quam maxime potius ad Ciceronem nos applicamus. Is enim, quemadmodum nostra fert opinio, optimo iure omnibus locis, ubi praecepta de arte rhetorica dedit, tum de statibus disseruit, cum de materia eloquentiae, non de officio oratoris ageret. Et, quamquam concedendum est propriam ipsamve constitutionem causae [i. e. cum orator constituit, quae sit causa ambigendi] partem officii oratorii esse, tamen negari non potest illas causas iam in generibus quibusdam materiae positas esse illaque genera aliis causis in alias partes, quae status seu constitutiones nominantur, distribui. Si vero propterea, quod orator prius causam constituit, quam ad „inventionem“ ceterasque officii oratorii partes accedit, has partes seu status seu constitutiones sub ea parte, in qua de proprio oratoris officio et labore nobis disputandum est, tractare vellemus: eodem quoque loco de tribus illis generibus, ut exemplo utamur, seu de quaestionibus infinitis et definitis nobis dicendum esset; nam sicut in constitutionibus orator quaerit et statuit, quae sit causa controversiae, ita quaerat statuatque oportet, cui trium illorum generum vel omnino quaestionibusne infinitis an finitis res, de qua ei agendum est,

1) „Quaestiones de Cornifici et Ciceronis art. rhet.“ Diss. Gryph. 1889.

subiecta sit. Atqui nemo adhuc negavit tales quaestiones non tam ad proprium oratoris officium, quam ad materiam eloquentiae pertinere. Ergo sicut illae quaestiones materiam in genera vel partes dividunt, ita haec genera seu partes constitutionibus in minores partes distribuuntur.

Atque illud neminem, qui Ciceronis libros rhetoricos accuratius et diligentius inspexit, effugere potest, Ciceronem in iis, quos aetate iam corroborata conscripsit, id studuisse, ut quaestionum infinitarum partitio quam maxime congrueret cum partitione quaestionum finitarum.

Sed videamus, quid Cicero de statibus docuerit. Primo loco in hac explicatione referamus definitiones status seu constitutionis, quas apud eum invenimus. De inv. I, 8, 10 constitutionem hoc modo circumscripsit: „Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: ‚Fecisti.' ‚Non feci,' aut: ‚Iure feci;" et eadem ratione constitutionem de inv. I, 10, 13 iterum atque iterum „intentionis depulsionem" appellavit. Idem certissime sensit Antonius, cum de or. II, 30, 132 diceret: „. . . quo perspecto statim occurrit . . . quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit." Neque alia est descriptio, quam noster top. 25, 93 dedit his verbis: „Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quoniam Graece *στάσις* dicitur, appelletur Latine status; in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio."

De ipsis statibus Cicero summa industria maximaque diligentia in libris „de inventione" superscriptis egit, ubi proxime ad eam partitionem, quam rhetores graeci, imprimis Hermagoras, docuerunt, accessit,[1]) cum in libris

1) Cfr. Kröhnert: „Die Anfänge der Rhetorik bei den Römern." Progr. Memel 1877. cap. VII. Netzker: „Hermagoras, Cicero,

posterioribus de iis non tam illorum praecepta repeteret, quam quae sibi ipsi visa sunt, exponeret. Pluribus locis Cicero controversias in duo genera partitus est, quorum alterum exsistit ex facto, ex scripto alterum; et cum illud ratione et argumentatione maxime tractetur, in hoc de scriptione aliqua disputandum est; quapropter, sicut Graeci fecerunt, illud genus rationale [*γένος λογικόν*], hoc genus legale [*γένος νομικόν*] appellare nobis liceat.

Et hanc quidem partitionem primum invenimus de inv. I, 12, 17—13, 18: „Deinde considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia. Nam scripti controversia est ea, quae ex scriptionis genere nascitur. ... 13, 18. Ratio est autem, cum omnis quaestio non in scriptione, sed in aliqua argumentatione consistit;" quae breviter repetivit de inv. I, 30, 49. Etiam in „oratore" controversias eadem ratione divisit; legimus enim or. 34, 121: „Erit enim ei perspectum nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat aut verba." Antonius vero illam distributionem improbavit, cum controversiam ex scripto factam, i. e. genus legale, ei generi, in quo quale sit ambigeretur, i. e. parti generis rationalis subiceret; hoc clarissime exposuit de or. II, 26, 112: „Iterum autem peccant, cum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est." Hoc loco autem non obliviscamur necesse est Antonium, quamquam non semper, attamen permultis in quaestionibus a Cicerone dissedisse.

Sed, ut ad singula transeamus, Cicero primum

Cornificius, quae docuerint de statibus." Dissertatio inauguralis. Kiel 1879.

quidem de statibus exquisitius et distinctius disseruit, ut iam supra commemoravimus, de inv. I, 8, 10—13, 18. Quae ut demonstremus nihil opus est, quam ut omnia graviora, quae ad hanc rem pertinent, conscribamus. Dixit igitur l. c.: „Omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem. ... Cum facti controversia est, quoniam coniecturis causa confirmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quia vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. Cum vero, qualis res sit, quaeritur, quia [et] de vi et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. At cum ex eo pendet, quia non aut is agere videtur, quem oportet, aut [non] cum eo, quicum oportet, aut [non] apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, translativa dicitur constitutio, quia actio translationis et commutationis indigere videtur. Atque harum aliquam in omne causae genus incidere necesse est. Nam in quam rem non inciderit, in ea nihil esse poterit controversiae; quare eam ne causam quidem convenit putari. 8, 11. Ac facti quidem controversia[1]) in omnia tempora potest tribui. Nam, quid factum sit, potest quaeri . . . et quid fiat . . . et quid futurum sit . . . Nominis[2]) est controversia, cum de facto convenit et quaeritur, id quod factum est quo nomine appelletur. . . . Quare in eiusmodi generibus definienda res erit verbis et breviter describenda. . . . 9, 12. Generis[3]) est controversia, cum et quid factum sit, convenit, et, quo id factum nomine appellari oporteat, constat; et tamen, quantum et cuiusmodi et omnino

1) cfr. de inv. II, 4, 14.

2) cfr. de inv. II, 17, 52.

3) cfr. de inv. II, 21, 62.

quale sit, quaeritur. . . . 11, 14. Haec ergo constitutio quam generalem nominamus, partes videtur nobis duas habere, iuridicialem et negotialem. Iuridicialis[1]) est, in qua aequi et recti natura aut praemii aut poenae ratio quaeritur; negotialis,[2]) in qua quid iuris ex civili more et aequitate sit, consideratur; . . . 11, 15. Ac iuridicialis quidem [ipsa et] in duas tribuitur partes, absolutam et adsumptivam. Absoluta[3]) est quae ipsa in se continet iuris et iniuriae quaestionem; adsumptiva,[4]) quae ipsa ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autem aliquid defensionis adsumit. Eius partes sunt quattuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. Concessio[5]) est, cum reus non id, quod factum est defendit, sed, ut ignoscatur, postulat. Haec in duas partes dividitur, purgationem et deprecationem. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa removetur. Haec partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. Deprecatio est, cum et peccasse et consulto peccasse reus se confitetur et tamen, ut ignoscatur, postulat; quod genus perraro potest accidere. Remotio criminis[6]) est, cum id crimen, quod infertur, ab se et ab sua culpa [vi et potestate] in alium reus removere conatur. Id dupliciter fieri poterit, si aut causa aut factum in alium transferetur. Causa transfertur, cum aliena dicitur vi et potestate factum; factum autem cum alius aut debuisse aut potuisse facere dicitur. Relatio criminis[7]) est, cum ideo iure factum dicitur, quod aliquis ante

1) cfr. de inv. II. 23, 69.
2) cfr. de inv. II, 21, 62.
3) cfr. de inv. II, 23, 69.
4) cfr. de inv. II, 24, 71.
5) cfr. de inv. II, 31, 94.
6) cfr. de inv. II, 29, 86.
7) cfr. de inv. II, 26, 78.

iniuria lacessierit. Comparatio[1]) est, cum aliud aliquod factum rectum aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur esse commissum. 11, 16. In quarta constitutione, quam translativam[2]) nominamus, eius constitutionis est controversia, cum aut quem aut quicum aut quomodo aut apud quos aut quo iure aut quo tempore agere oporteat, quaeritur aut omnino aliquid de commutatione aut infirmatione actionis agitur. Huius constitutionis Hermagoras inventor esse existimatur . . . 12, 16. Et constitutiones et earum partes exposuimus." Hanc autem generis rationalis explicationem sequuntur controversiae ex scripto,[3]) quas constitutiones appellari Cicero non vult, quasque de inv. I, 13, 17 hoc modo explicavit: „Eius autem [sc. controversiae ex scripti genere] genera, quae separata sunt a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere,[4]) tum inter se duae leges aut plures discrepare,[5]) tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare;[6]) tum ex eo, quod scriptum est, aliud, quod non scriptum est, inveniri;[7]) tum vis verbi quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit[8]) quaeri. Quare primum genus de scripto et sententia, secundum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinativum, quintum definitivum nominamus."

Sed tot constitutionum illarum et partium Cicero

1) cfr. de inv. II, 24, 72.
2) cfr. de inv. II, 19, 57.
3) cfr. de inv. II, 40, 116.
4) cfr. de inv. II, 42, 121.
5) cfr. de inv. II, 49, 144.
6) cfr. de inv. II, 40, 116.
7) cfr. de inv. II, 50, 148.
8) cfr. de inv. II, 51, 153.

in posterioribus libris rhetoricis alias contraxit, alias plane reliquit: sic constitutionem translativam partesque constitutionis generalis saepius desideramus et controversias, quae ex scripto exsistunt, hoc loco[1]) in tres, illo[2]) in duas partes distribuit; quin etiam Antonius[3]) eas in unam partem contractas constitutioni generali subiunxit, ut iam ante commemoravimus paulloque post accuratius ipsius verbis exponemus. Id unum autem statim constituendum est Ciceronem illud vitium, quod de inv. I, 13, 17 et II, 51, 153 commisit, cum statum definitivum controversiis quoque ex scripto subiceret, in omnibus libris posterioribus summa cum diligentia vitavisse; de illo autem vitio ipso nobis iam nihil addendum est, quoniam Bader,[4]) Netzker,[5]) Kröhnert,[6]) Volkmann[7]) hanc rem satis dilucide et copiose tractaverunt.

Pergamus autem, quo melius illae mutationes, quas modo leviter tetigimus, animadvertantur, Ciceronis praecepta, quatenus ad hanc rem pertinent, referre. Et Crassus quidem, qui, ut in aliis quaestionibus, ita in hac quoque statuum explicatione propius ad Ciceronis sententiam accedit, quam Antonius, de or. I, 31, 139—140 haec docuit: „In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam, quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. 140. Exsistere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit

1) de or. I, 31, 140. de part. or. 31, 108. top. 25, 96.
2) or. 34, 121.
3) de or. II, 26, 110.
4) „De Cic. rhet. libr.“ p. 14.
5) „Herm. Cic. Corn. quae de stat. doc.“ p. 30.
6) „D. Anf. d. Rhet. bei d. Röm.“ cap. VII.
7) „Rhet. d. Gr. u. R.“[2] p. 52.

scriptum aut contrarie aut ita, ut a sententia scriptum dissentiat: his autem omnibus partibus subiecta quaedam esse argumenta propria." Significantur his verbis et constitutiones generis rationalis et controversiae generis legalis; constitutiones autem, ut sensit Harnecker,[1]) cui totos nos applicamus, sunt hae: constitutio coniecturalis, definitiva, generalis, iuridicialis, quam partem constitutionis generalis esse scimus. Volkmann[2]) autem hunc locum corruptum esse putavit atque, ut statum translativum tribus illis, coniecturae, definitioni, qualitati adiungeret, verbum „factum" in „actum" mutare voluit. Quae coniectura, quamquam sine dubio levissima, supervacanea tamen nobis videtur, non tam propter eas causas, quas Harnecker protulit in annotatione citata, quam propter illa Crassi verba, quae exstant de or. III, 19, 70, quaeque sunt: „Quare, si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare oportere, quod arguare, aut, si id non possis, tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum aut alterius culpa aut iniuria aut ex lege aut non contra legem aut imprudentia aut necessario aut non eo nomine usurpandum quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit ac licuerit . . . ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis." Neminem, qui hunc locum inspexit, effugere potest, Crassum verbis citatis constitutiones rhetorum graecorum si non plane enumerare, attamen earum memoriam redintegrare voluisse: commemoravit enim quattuor illos status principales[3]): coniecturalem [„aut negare"], generalem [„ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur"], definitivum [„non

---

1) Cic. „de or." ed. Piderit-Harnecker[6] p. 136, annot. 19.

2) „Rhet. d. Griech. u. Röm."[2] p. 53.

3) cfr. definitiones singularum constitutionum, quae exstant de inv. I, 8, 10—13, 18 et II, 4, 14—51, 153.

eo nomine usurpandum, quo arguatur"], translativum [„non ita agi, ut debuerit ac licuerit"]; praeterea invenimus constitutionem iuridicialem [„recte factum"] et tres partes constitutionis iuridicialis assumptivae: remotionem criminis [„alterius culpa"], relationem criminis [„iniuria"], concessionem [„imprudentia aut necessario"]; et ne legale quidem genus, ut recte Harnecker[1]) animadvertit, silentio praeteriit [„ex lege aut non contra legem"].

Reperimus igitur hoc loco, quem modo interpretati sumus, illa verba „aut recte factum", quae Volkmann de or. I, 31, 139 mutari voluit: sed ea hic quoque corrupta esse putare non possumus, cum status translativus, quem Volkmann illic restituere studuit, hic apertis clarissimisque verbis „non ita agi, ut debuerit aut licuerit" significetur.

Tertium autem locum, ubi verba „recte factum" inveniuntur [de or. II, 26, 113] eaque expresse statui qualitatis subiunguntur, ad comprobandam nostram sententiam idcirco afferre non possumus, quod Antonius illic loquitur, qui, ut saepius iam commemoratum est, aliam de statibus habuit sententiam atque Crassus et Cicero.

Quae cum ita sint, illam quam Harnecker dedit interpretationem verborum „rectumne factum sit", ut hoc loco, ita quoque de or. I, 31, 139 accipere debemus.

Itaque Crassi praecepta ab iis, quae Cicero in libris „de inventione" dedit, hoc differunt: Crassus statum translativum partesque status generalis, constitutione iuridiciali excepta, de or. I, 31, 139 non commemoravit, quamvis eos, ut in illo de philosophia excursu, quem fecit de or. III, 16, 61 sequ., demonstrat, non ignoravit; itemque in controversiis scripti genus ratiocinativum et definitivum praetermisit.

---

1) Cic.: „de or." ed. Piderit-Harnecker^6 p. 451, annot. 11.

Iam transeamus ad „oratorem", ubi Cicero duobus locis de statibus egit; primum enim or. 14, 45 haec dixit: „Nam quoniam, quidquid est quod in controversia aut in contentione versetur, in eo aut sitne aut quid sit aut quale sit, quaeritur; sitne signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique partibus; quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam." Copiosius autem de statibus disseruit Cicero or. 34, 121, ubi haec verba fecit: „Erit enim ei perspectum nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat aut verba. Res aut de vero aut de recto aut de nomine; verba aut de ambiguo aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex praeterito verbo fieri solet, in quo, quod est ambiguorum proprium, res duas significari videmus." Utroque loco igitur tres constitutiones generis rationalis attulit: coniecturam, definitionem, qualitatem; de controversiis autem, quae ex scripto fiunt, non disputavit, nisi or. 34, 121, ubi eas in duo genera distribuit: ambiguum et contrarium; controversiam de scripto et sententia enim, quam Crassus de or. I, 31, 140 servavit, generi ambiguo subiecit, cum genus ratiocinativum et definitivum omnino silentio praeteriret. Sed in hac partitione generis legalis non constitit, ut ex iis, quae statim infra sequuntur, cognoscemus.

In libro „de partitione oratoria" enim de statibus et controversiis haec docuit: 9, 33. „Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut sit necne sit aut quid sit aut quale sit quaeritur, in primo coniectura valet, in altero definitio, in tertio ratio. . . . 29, 101. In omnibus igitur causis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resisten-

dum. Nam aut ita consistendum est, ut id, quod obiicitur, factum neges; aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere atque id esse, quod adversarius criminetur; aut, si neque de facto neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, et rectum esse, quod feceris, concedendumve defendas. 102. Ita primus ille status et quasi conflictio cum adversario coniectura quadam, secundus autem definitione atque descriptione aut informatione verbi, tertius aequi et veri et recti et humani ad ignoscendum disputatione tractandus est." De genere legali autem, egit de part. or. 31, 108 hoc modo: „Cum autem aut plura significantur scripto propter verbi aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contra dicat, eo trahere significationem scripti, quo expediat aut velit; aut, si ambigue scriptum non sit, vel a verbis voluntatem et sententiam scriptoris abducere vel alio se eadem de re contrarie scripto defendere, tum disceptatio ex scripti contentione exsistit, ut in ambiguis disceptetur, quid maxime significetur; in scripti sententiaeque contentione, utrum potius sequatur iudex; in contrariis scriptis, utrum magis sit comprobandum." Ex multis vero partibus illis, quas Cicero de inv. I, 11, 14—15 et II, 21, 62 sequi. constitutioni generali subiecit, in hoc libro solam concessionem leviter tetigit, cum de part. or. 37, 131 scriberet: „Si imprudenter aut necessitate aut casu quidpiam fecerit, ... ad eius facti deprecationem ignoscendi petenda venia est, quae sumetur ex plerisque locis aequitatis." Etiam translationem commemoravit de part. or. 28, 99, sed de ea magis ante iudicium, quam in ipso iudicio agendum esse docuit, cum in ea quaerendum esset: „aut sitne actio illi, qui agit, aut iamne sit aut num iam esse desierit aut illane lege, hisne verbis sit actio."

Atque cum illis praeceptis, quae inveniuntur in „partitionibus oratoriis", maxima ex parte ea consentiunt, quae Cicero in „topicis" de eadem re dedit: quare ea statim hoc loco afferre nobis liceat. Constitutiones igitur top. 24, 92 his verbis explicavit: „In quibus [sc. definitis quaestionibus] exsistunt haec genera, ut accusator personam arguat facti, defensor aliquid opponat de tribus: aut non esse factum, aut si sit factum, aliud eius facti nomen esse, aut iure esse factum. Itaque aut infitialis aut coniecturalis prima appelletur; definitiva altera; tertia, quamvis molestum hoc nomen sit, iuridicialis vocetur." De controversiis autem ex scripto nascentibus paullo post disseruit; legimus enim top. 25, 95: „Sed quoniam lege firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera, ut legem adiutricem et testem adhibeamus. In qua re alii quasi status exsistunt novi, sed appellentur legitimae disceptationes. 96. Tum enim defendetur non id legem dicere, quod adversarius velit, sed aliud. Id autem contingit, cum scriptum ambiguum est, ut duae sententiae accipi possint. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut quaeratur, verbane plus, an sententia valere debeant. Tum legi lex contraria affertur. Ita sunt tria genera, quae controversiam in omni scripto facere possint, ambiguum, discrepantia scripti et voluntatis, scripta contraria."

Si Ciceronis praecepta, quae modo contulimus, cum iis comparamus, quae cognovimus ex „oratore", invenimus illum ne in iis quidem libris, quos eodem fere tempore edidit et inscripsit „orator", „de partitione oratoria", „topica", semper eadem docuisse; nam cum in duobus primis constitutionem coniecturalem, definitivam, generalem enumeraret, in „topicis" tertiam iuridicialem vocavit, quamvis ipse hoc nomen „molestum" esse sentiret; contra genus legale in libro „de partitione oratoria" at-

que in „topicis“ rursus in tres partes divisit ita, ut controversiam scripti et voluntatis, quam in „oratore“ ambiguo generi subiunxerat, tertium genus controversiarum ex scripto reciperet.

Restat, ut Antonii sententiam, quam habuit de statibus, explicemus. Is enim, ut iam supra diximus, genus legale statui qualitatis attribuit eaque de causa praecepta eius optime tractari existimavimus, postquam eos locos, ubi Cicero utrumque genus et rationale et legale servavit, plane absolvimus. Sed Antonii verba, quae exstant de or. II, 24, 104 et 26, 110—113 sunt haec: 24, 104. „Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, sive ex crimine causa constat, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, [sive ex persona, ut laudis], sive ex disputatione, ut de ratione vivendi; in quo non, aut quid factum sit aut fiat futurumve sit, quaeratur aut quale sit aut quid vocetur. . . . 26, 110. Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in quo nulla potest esse nisi ex ambiguo controversia. Nam illud ipsum, quod scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui; . . . ex contrariisque scriptis, si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. . . . Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. . . . 112. Iterum autem peccant, cum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. 113. Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere

possint: Quid fiat, factum futurumve sit; aut, quale sit; aut, quomodo nominetur. Nam illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt: Rectene factum sit, totum in eo est: Quale sit.“ Tum breviter quae sensit de or. II, 30, 132 ita comprehendit: „Ac primum naturam causae videat, quae nunquam latet, factumne sit quaeratur, an quale sit, an quod nomen habeat.“

Cicero autem, quid de hac Antonii sententia et doctrina iudicaverit, Crassum de or. III, 30, 119 fecit pronuntiantem, qui partitioni quaestionum infinitarum haec verba adiunxit: „Explicatis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepuit ab Antonii divisione nostra partitio. Eadem sunt membra in utriusque disputatione, sed paullo secus a me atque ab illo partita ac distributa.“

Ergo Cicero de ea sententia, quam aperuit in libris „de inventione“ superscriptis, aliquantum decessit. In illis enim omnia, quae Graeci de hac re docuerunt, sibi afferenda et tractanda esse putavit, quamquam negare non possumus, eum iam illis temporibus id contendisse, ut ea, quae non recte sese habere putavit, corrigeret; sic videmus eum de inv. I, 9, 12 sequ. acerbius et vehementius in Hermagoram invehere. At illam accuratissimam statuum et constitutionum partitionem in scriptis posterioribus non retinuit; plerumque enim tres constitutiones attulit: coniecturalem, definitivam, generalem; sed, ut Crassus de or. I, 31, 139 constitutionem iuridicialem statui qualitatis adiunxit, id quod Antonius de or. II, 26, 113 improbavit, ita Cicero top. 24, 92 eam constitutionem, fortasse quia saepius in foro adhibebatur, omnino huic statui praetulit eiusque loco in numerum statuum principalium recepit. Multo magis autem in partibus generis legalis variavit: in libris „de

inventione"[1]) enim quinque partes eius generis fecit; in „oratore"[2]) contra duas modo accepit; Antonius vero de or. II, 36, 110—112 totum genus, quod in unum ambiguum contraxit, constitutioni generali subiecit; in iis denique libris rhetoricis,[3]) qui supersunt, Cicero illud genus in tres partes distribuit: in controversiam de scripto et sententia, ex contrariis legibus, ex ambiguo.

Permagnum autem vitium, quo tota Ciceronis quaestio laborat, adhuc non commemoravimus: Pluribus enim locis verbis clarissimis contendit status non solum ad genus iudiciale, sed etiam ad genus deliberativum et demonstrativum pertinere. Quibus de causis in hac re erraverit Bader,[4]) Netzker,[5]) Volkmann,[6]) Thiele[7]) satis dilucide atque perspicue demonstraverunt neque quidquam reliquerunt, quod nobis addendum esset. At, ne quid praetereamus, illud nostrum esse arbitramur, locos, ubi Cicero hoc falsum praeceptum dedit, in medium proferre; sunt enim: de inv. I, 8, 10; 10, 14; II, 4, 12; 51, 155; de or. II, 24, 104—105; top. 25, 93—94.

Sed etiam quaestionibus infinitis, quas in libris „de inventione" procul ab oratoris officio remotas esse dixerat quasque, ut supra exposuimus, multas in partes constitutionibus haud dissimiles distribuit, saepius status subiecit; qua in re vero tunc status a partibus illis differant, certe constituere non possumus. Atque hoc quidem fecit Crassus de or. I, 31, 139 itemque Cicero or. 14, 45—46, qui simili ratione top. 21, 81 et

1) de inv. I, 13, 17. II, 42. 121—51, 153.
2) or. 24, 121.
3) de or. I, 31, 140. de part. or. 31, 108. top. 24, 192.
4) „De Cic. rhet. libr." p. 13.
5) „Herm. Cic. Corn., quae doc. de stat." p. 9. 10. 25. 26.
6) „Rhet. d. Gr. u. R."[2] p. 45. 50 sequ.
7) „Quaest. de Corn. et Cic. art. rhet." p. 107.

22, 86 partes quaestionum infinitarum finitis quoque quaestionibus subiecit; atque huic quidem rei respondet illud Ciceronis praeceptum, de quo supra egimus, omnes causas certas ad genus universum traducendas esse.

De causarum vero ex intentionis impulsione nascentium partitione Cicero nusquam disseruit, nisi in primo librorum „de inventione“. Persaepe enim accidit, ut oratori in eadem oratione non solum de una causa, sed de pluribus agendum sit. Quare noster causas in duo genera distribuit: in simplices et in iunctas. „Constitutione causae,“ inquit de inv. I, 12, 17, „reperta statim placet considerare, utrum causa sit simplex an iuncta; et si iuncta erit, utrum sit ex pluribus quaestionibus iuncta an ex aliqua comparatione. Simplex est, quae absolutam in se continet unam quaestionem . . . Coniuncta ex pluribus quaestionibus, in qua plura quaeruntur . . . Ex comparatione, in qua per contentionem, utrum potius [aut quid potissimum sit], quaeritur . . .“ Cum hoc loco causas quantitate divideret, de inv. I, 15, 20 ad qualitatem sive, ut ita dicamus, ad decentiam causarum respexit eaque ratione quinque genera earum invenit: honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum, quae l. c. his definitionibus circumscripsit: „Honestum causae genus est, cui statim sine oratione nostra favet auditoris animus; admirabile, a quo est alienatus animus eorum, qui audituri sunt; humile, quod neglegitur ab auditore et non magnopere attendendum videtur; anceps, in quo aut iudicatio dubia est aut causa et honestatis et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat et offensionem; obscurum, in quo aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa est implicata.“

Atque ex argumentis, quibus alter adversariorum in causa constituenda ea confirmat, quae alterius seu accusationi seu defensioni obicit, Cicero alios quasi status

finxit[1]). Copiosius autem de iis non disputavit, nisi de inv. I, 13, 18—14, 19 et de part. or. 29, 102—30, 106, cum in ceteris scriptis rhetoricis hic illic unius tantum, iudicationis, mentionem faceret. Sed referamus quae de hac re docuit ipsius verbis; scripsit igitur:

de inv. I, 13,18—14,19: „Ac tum considerato genere causae . . . erit videndum, quae quaestio, quae ratio, quae iudicatio, quod firmamentum causae sit; quae omnia a constitutione proficiscantur oportet. Quaestio est ea, quae ex conflictione causarum gignitur controversia, hoc modo: „Non iure fecisti." „Iure feci." Causarum autem est conflictio, in qua constitutio constat. Ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, haec: „Iurene fecerit." Ratio est ea, quae continet causam, quae si sublata sit, nihil in causa controversiae relinquatur...

de part. or. 29, 102—30, 104:

„Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet aliquo certo statu aut infitiando aut definiendo aut aequitate opponenda, sed etiam rationem subiiciat recusationis suae, primus ille status rationem habet iniqui criminis ipsam

1) Status minores, ut eos brevitatis causa ita appellemus, quamvis materiam non eadem ratione in genera distribuunt, qua reliqui status, propterea in hac prima parte tractamus, quia praecepta de officio oratoris non tam ad ea pertinent, quae in causa constituenda ab adversariis proferuntur, quam ad ipsam orationem, quae de causa constituta habetur.

negationem infitiationemque facti; secundus, quod non sit in re, quod ab adversario ponatur in verbo; tertius, quod id recte factum esse defendat, quod sine ulla nominis controversia factum fateatur.

103. Deinde uni cuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. Itaque ea quae sic referuntur, continentia causarum vocentur; quamquam non ea magis, quae contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsae defensionis rationes continet causas. Sed distinguendi gratia rationem appellemus eam, quae adfertur ab reo ad recusandum depellendi criminis causa, quae nisi esset, quid defenderet non haberet; firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest.

Iudicatio est quae ex infirmatione [et confirmatione] rationis nascitur controversia.

30, 104. Ex rationis autem et ex firmamenti conflictione et quasi concursu, quaestio exoritur quaedam, quam

disceptationem voco; in qua, quid veniat in iudicium et de quo disputetur, quaeri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet quaestionem, ut in coniectura: „Ceperitne pecunias Decius;“ . . . haec, quae primam contentionem habent ex arguendo et resistendo, lata, ut dixi, et fusa sunt. Rationum et firmamentorum contentio adducit in augustam disceptationem.

14,19. Firmamentum est firmissima argumentatio defensoris et adpositissima ad iudicationem . . . Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur; in coniecturali autem constitutione, quia ratio non est — factum enim non conceditur — non potest ex diductione rationis nasci iudicatio. Quare necesse est eandem esse quaestionem et iudicationem: factum est, non est factum, factumne sit? Quot autem in causa constitutiones aut earum partes erunt, totidem necesse erit quaestiones, rationes,

Ea in coniectura nulla est. Nemo enim eius, quod negat factum, rationem aut potest aut debet aut solet reddere. Itaque in his causis eadem et prima quaestio et disceptatio est extrema.“

iudicationes, firmamenta reperiri.“

Quibus praeceptis statim ea adiungere placet, quae exstant in ceteris libris rhetoricis quaeque non ad totam illam rem, sed ad iudicationem solum pertinent. Primum igitur Antonius de or. II, 30, 132 de ea haec explicavit: „. . . . deinde, quid veniat in iudicium [sc. occurrit naturali quadam prudentia], quod isti sic iubent quaerere: Interfecit Opimius Gracchum. Quid facit causam? Quod rei publicae causa, cum ex senatus consulto ad arma vocasset. Hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium: Licueritne ex senatus consulto servandae rei publicae causa?“ Tum Cicero eandem iudicationem or. 36, 126 his verbis tetigit: „Quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiae, quod graece κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quaestionem atque ut de universo genere dicatur; nisi cum de vero ambigetur, quod quaeri coniectura solet.“ Denique top. 25, 95 eadem res ita tractatur: „Sed quae ex statu contentio efficitur, eam Graeci κρινόμενον vocant. Mihi placet id . . . „qua de re agitur“ vocari. Quibus autem hoc „qua de re agitur“ continetur, ea continentia vocentur, quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit.“

De hac Ciceronis doctrina, quam modo ex ipsius libris exscripsimus diligentius egit Volkmann: „Rhet. d. Gr. u. R.“² p. 102—105. Quamquam huic viro docto libenter concedimus totam illam expositionem Ciceronis obscuram cognituque difficillimam esse, tamen eum in hoc sequi non possumus, quod Ciceronem vituperavit, quia „constitutionem“ hic alia ratione atque illic definisset eamque cum „quaestione“ confudisset. Dixit enim l. c. p. 102 haec: „Cicero selbst hat vorher die aus intentio

und depulsio entstehende Frage iurene fecerit als Status bezeichnet. Wie in aller Welt soll denn nun die Frage iurene fecerit aus dem Status entstehen, mit dem sie identisch ist? Oben 8,10 kam Cicero von der controversia, dem ζήτημα, zum Status: hier entsteht aus dem Status die controversia, und diese ist die quaestio. Der fragliche Begriff löst sich unter unsern Händen in nichts auf, wie Rauch.“ Quibus verbis Ciceronem iniuria reprehendit, nam is nusquam quaestionem „iurene fecerit“, quae ex depulsione intentionis exsisteret, constitutionem esse contendit. At definitio, quam de inv. I, 8,10 de constitutione dedit, est verbum ex verbo haec: „Constitutio est prima conflictio causarum ex depulsione intentionis profecta, hoc modo: ‚Fecisti‘ ‚Non feci‘, aut: ‚Jure feci‘.“[1]) Eadem ratione constitutionem circumscripsit de inv. I, 10, 13: „Deinde si constitutio et ipsa et pars eius quaelibet intentionis depulsio est, quae intentionis depulsio non est, ea nec constitutio nec pars constitutionis est.“ Quid? num quis contendere conatur quaestionem „iurene fecerit“ vel aliam eiusmodi intentionis depulsionem esse? Quodsi vero paullo ante dixit: „Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus,“ vocabulum „quaestionem“ ad illa verba, quae antecedunt: „Omnis res . . . aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem“ referre debemus, non ita interpretari, ut eadem significet, quae interrogatio. Suo iure igitur Cicero controversiam ex conflictione causarum, „in qua constitutio constat“ nascentem proprio nomine „quaestionis“ appellavit; item in exemplis, quibus in altero librorum „de inventione“[2]) singulas constitutiones illustravit, semper

1) cfr. Victorinus ed. Halm: „Rhet. lat. min.“ p. 193 vers. 5—6.

2) de inv. II, 17,52; 20,60; 21,62; 23,70; 24,73; 26,79; 29,87; 30,92.

interrogationem, quae ex intentione et depulsione gignitur, „quaestionem" appellavit; nam unum locum de inv. II, 4, 15, qui in codicibus valde corruptus traditur, excipere debemus. Ergo Ciceronem in hac explicatione, quae ad constitutionem et quaestionem pertinet, erroris vel inconstantiae coarguere non possumus.

Contra si oculos ad illam collationem convertimus, qua supra praecepta de his statibus secundis, si ita eos significare nobis licet, comparavimus, primo statim in conspectu animadvertimus Ciceronem de inv. I, 13, 18 firmamentum alio loco aliaque ratione descripsisse atque de part. or. 29, 103. Sed locus huius status pendet ex definitione ad eamque se accommodare debet. Nam si firmamentum defensori attribuimus, sequatur oportet infirmationem rationis, quam accusatur in defensoris rationem profert; ex ratione autem atque ex infirmatione rationis efficitur iudicatio; ergo firmamentum iudicationem anteire non potest. Sin firmamentum accusatori adiudicatur, idem esse debet, quod infirmatio rationis; nam quid iuvat vel expedit firmamentum, postquam iudicatione causa iam non lata, sed angusta constituta est? Quoniam autem accusator defensoris rationem refutare non potest, nisi gravioribus argumentis, firmamentum non defensori, sed accusatori addicendum esse putamus. Atque hoc quidem Cicero, ut scimus, in „partitionibus oratoriis" fecit; in primo librorum „de inventione" vero miram earum rerum confusionem et perturbationem reperimus. Illic enim, postquam de ratione dixit, nihil de infirmatione rationis commemoravit, sed statim ad iudicationis explicationem transiit in eaque definienda praeter exspectationem rationis infirmationem attulit, quasi iamdudum cognita esset.

Desideramus igitur de inv. I, 13, 28 significationem et tractationem eorum verborum, quae accusator defen-

soris rationi opponit. Contra illic firmamentum habemus expositum, cuius nec finis neque utilitas post iudicationem constitutam intellegenda est.

Quae cum ita sint eum locum depravatum aut Ciceronem fontibus suis male imprudentissimeque usum[1]) esse nobis existimandum est; quod posteriore loco positum putare nolumus, praesertim cum facile illam corruptelam emendare statusque confuse permixtos ratione disponere possimus. Proponimus igitur de inv. I, 14, 19 vocabulum „defensoris“ in „accusatoris“ mutare,[2]) ita ut legamus: „Firmamentum est firmissima argumentatio accusatoris et appositissima ad iudicationem;“ deinde omnia, quae Cicero de firmamento dixit, iis verbis adiungere, quibus rationem explicavit. Qua transpositione accepta etiam verba „appositissima ad iudicationem“, quae in offensionem Volkmanni incurrunt, ita interpretari licet: firmamentum,

1) Quintilianum illum Ciceronis locum inst. or. III, 11,9 iisdem verbis citavisse non ignoramus; attamen ea re suspitio corruptelae non removeri potest, cum editiones librorum illis temporibus multa errata continerent, quorum de correctura Cicero saepius in epistulis egit quaeque ad Quintum fratrem III, 6,6, ut unum certe locum proferamus, his verbis conquestus est: „De Latinis vero, quo me vertam nescio: ita mendose et scribuntur et veneunt.‘ cfr. Th. Birth: „Das antike Buchwesen in seinem Verhältnis zur Litteratur“ p. 351 sequ.

2) Quodsi Marius Victorinus [Halm: „Rhet. lat. min“ p. 194 vers. 5—6] ad hunc locum adnotavit: „Firmamentum, si verum sit, valde prodest, sed soli defensori; accusator enim pro firmamento assertionem habet,“ eius sententiam probare non possumus. Nam ipse Cicero, ut vidimus, de part. or. 29,103 firmamentum accusatori attribuit; idem fecit in oratione, quam habuit pro L. Murena, ubi 28,58 hac transitione usus est: „Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis . . .“; praeterea illud Victorini enuntiatum refutatur a Cornificio, qui I, 16,26 item firmamentum ab accusatore contra defensoris rationem afferendum esse docuit.

quod rationi defensoris obicitur, iudicationi proximum est eamque nullo statu interveniente antecedit; nam ex ratione et firmamento nascitur iudicatio. Atque illa quoque verba: „Et in ceteris quidem constitutionibus ad hunc modum iudicationes reperiuntur“ sine dubio multo facilius et celerius cognoscuntur; nam cum antea ab illo exemplo iudicationis, ad quod referenda sunt, descriptione firmamenti seiungerentur, nunc statim se optime ad illud applicant.

Itaque quattuor difficultates hac nostra emendatione eximuntur atque totus locus plane cum illo in „partitionibus oratoriis“ consentit.

Sed de statibus atque de materia artis rhetoricae hactenus.

Caput alterum.

De partibus officii oratorii.

Artem rhetoricam distribuit Cicero, sicut alii rhetores, in quinque partes, quarum compluribus locis mentionem fecit. Illam partitionem reperimus de inv. I, 7, 9 his verbis expressam: „ . . . partes autem [sc. materiae] eae, quas plerique dixerunt, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio.“ Eas igitur partes materiae esse dixit, in quas nos officium oratoris partiri solemus. Sed in hac re erravit, aut quae dicere voluit, male expressit. Ipse enim paullo ante, de inv. I, 5, 7, materiam hoc modo definivit: „Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur,“ quae verba idem significant atque: eas res, de quibus orator dicere potest, materiam artis rhetoricae nominamus; deinde eam, ut supra diximus, in tria genera divisit: demonstrativum, deliberativum, iudiciale. Orator vero, cum de aliqua re, quae ad unum

alterumve horum generum pertinet, dicere volet, locos anquiret inventosque disponet, et, ut brevi praecidamus, illis quinque partibus in oratione conficienda utetur. Ergo eas non materiae tractandae, sed ipsi materiae tractationi, i. e. officio seu muneri oratoris subicere debemus.

Ad illum locum, quem attulimus, proxime accedit de or. II, 19, 79: „Deinde quinque faciunt quasi membra eloquentiae, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare.“ Et hic quidem solum nomen „elocutionis“ in vocabulum „ornare“ mutatum esse videmus: maiorem autem varietatem in partibus illis afferendis invenimus de or. I, 31, 142, ubi legimus: „Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria saepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate.“ Aliis verbis easdem partes significavit noster etiam de or. I, 15, 64, cum eum oratoris nomine dignum esse diceret, qui „prudenter et composite et ornate et memoriter dicet cum quadam actionis etiam dignitate.“

Sicuti locis adhuc citatis partium nomina inter se differunt, ita loci quidam extant, quibus etiam ordo earum variat ab eoque discrepat, quo nos enumerationem a Cicerone de inv. I, 7, 9 et a Cornificio I, 2, 3 adhibitam secuti plerumque utimur. Sic de or. I, 42, 187 Crassum induxit haec verba facientem: „in hac denique ipsa ratione dicendi excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere ignota quondam omnibus et diffusa late videbantur.“

Etiam in „Bruto“ a sollemni usu recessit, cum 59, 215 in numero aliorum oratorum in alia orationis parte excellentium de Antonio diceret: „reperiebat, quid dici opus esset et quomodo praeparari et quo loco locari: memoriaque ea comprehendebat Antonius; excellebat autem actione.“ Neque alias res significavit nec perspici voluit Brut. 63, 227, ubi de P. Antistii facultatibus oratoriis: „Rem,“ inquit, „videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat; verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis; expedita autem erat et perfacile currens oratio. Et erat eius quidam tanquam habitus non inurbanus; actio paullum cum vitio vocis tum etiam ineptiis claudicabat.“

In illo libello denique, qui inscribitur „de partitione oratoria“ vim oratoris non statim in eas, de quibus agimus, partes divisit, sed primum illam in res et in verba distribuit; tum pergit 1, 3: „Sed et res et verba invenienda sunt et collocanda. Proprie autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etsi est commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus atque omnis actio eloquendi comes est earumque rerum omnium custos memoria.“

Ad extremum nobis non praetereundum esse videtur Brut. 6, 25, ubi Cicero illarum quinque partium mentionem fecit, singulas autem non enumeravit, hoc modo: „Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur [sc. eloquentia], earum una quaeque est ars ipsa magna per sese.“

Ergo omnibus, quos adhuc protulimus locis eloquentiam noster in quinque partes divisit. Sed in libro, quem „orator“ inscripsit, ab ea partitione discessit, id quod duobus locis optime cognoscitur. Primum enim or. 14, 43 haec scripsit: „Quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat et quo quidque loco et quo modo, di-

cendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquanto secus atque in tradenda arte dici solet.“ Et verbis „quid dicat“ et „quo quidque loco“ inventionem et collocationem circumscriptas esse facile intellegitur; enuntiatum „quo modo“ autem duas partes: elocutionem et actionem complectitur, ut ipse accuratius aperuit or. 17, 55: „Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo et in eloquendo.“ Sed quaerendum est, quid tum de „memoria“, cui locus nullus datus est, Cicero diiudicaverit. De hac enim parte eum a sententia sua destitisse videmus ex or. 17, 54, ubi est: „ . . . ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita praetermissa pars nulla erit; quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium.“ Quibus verbis clarissime expressit aut declaravit sese memoriam non diutius ita, ut in ceteris libris, qui „oratorem“ antecesserunt, propriam eloquentiae partem habere, sed multarum artium communem putare. Sed ne in ea quidem sententia Cicero perseveravit. Nam posteriore tempore in „partitionibus oratoriis“ [1,3], quas uno anno post „oratorem“, i. e. anno 45 a. Chr. n. ab eo editas esse scimus rursus eadem, quae in libris ante „oratorem“, scriptis docuerat, de eloquentiae partibus praescripsit.[1])

---

1) Hoc loco optime etiam afferuntur, quae Cicero de „memoria“ in libro „de optimo genere oratorum“ scripsit, quem plerique duobus annis post „oratorem“, i. e. anno 44 a. Chr. n. editum esse suspicantur. Quamquam illud inter viros doctos non satis constare non ignoramus, tamen propterea illum libellum plane silentio praeterire non possumus. Servavit igitur memoriam de opt. gen. or. 2, 5, ubi de sententiis et verbis, e quibus eloquentia constaret, disputat, his verbis: „Sed earum omnium rerum, ut aedificiorum, memoria est quasi fundamentum, lumen actio“, quibus intellegitur, quanti auctor memoriam habuerit, cum nullius partis nisi memoriae atque actionis illic mentionem fecerit.

Nullo igitur loco nisi or. 17, 54 Cicero „memoriam" partem artis rhetoricae reiecit. Attamen Harnecker[1]) eum iam antea, cum libros „de oratore" scriberet, eadem sive similia de „memoria" sensisse contendit: atque haec ex eo conclusit, quod Cicero in altero illorum librorum[2]) Antonium memoriam non partem propriam, sed quasi appendicem brevem explicantem fecisset. Qua in re cum illo viro doctissimo consentire non possumus. Quamquam „memoriam" prae „inventione" et „dispositione" ab Antonio breviter tractatam atque expositam esse concedimus, tamen eam propter hanc brevitatem appendicem eloquentiae positam esse, non partem, omnino negandum est.

Primum enim omnibus locis librorum „de oratore", ubi partes eloquentiae enumerantur, „memoria" semper in earum numerum recepta est et ab Antonio de or. II, 19, 79.

Deinde Antonius memoriam a se eloquentiae partem existimari demonstrat vel declarat tota ratione, qua duabus primis partibus, i. e. „inventione" et „dispositione" absolutis ad eius tractationem transiit; de or. II, 85, 350 enim utitur his verbis: „Habetis, de inveniendis rebus disponendisque quid sentiam. Adiungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam nisi ea, quibus haec exornentur;" quibus fere haec exprimere voluit: cum quinque eloquentiae partium, de quibus nobis agendum est, „inventio" et „dispositio" a me expositae sint cumque Crasso nihil relinquere velim ad disserendum, nisi ea, quae ceteras partes exornent, i. e. „elocutionem" et „actionem", restat ut de quinta parte, de „memoria" dicam.

---

1) Cic.: „de or." ed. Piderit-Harnecker⁶ p. 63.

2) de or. II, 85, 350—88, 360.

Denique, ut Harnecker recte iudicasset, ne actio quidem pars eloquentiae, sed appendix nobis habenda esset; nam de ea in tertio libro a Crasso haud copiosius nec latius praescribitur, quam de „memoria“ in altero libro[1]) ab Antonio. Quamquam actionem propter brevitatem, qua exposita est, non partem artis rhetoricae esse nemo adhuc contendere ausus est neque unquam audebit.

Ergo, quemadmodum nostra fert opinio, non est, cur arbitremur Ciceronem iam in libris „de oratore“ inscriptis eam, quam postea in „oratore“ protulit, sententiam habuisse.

Si breviter comprehendimus, quae de numero partium modo diximus, Ciceronem iudicamus in omnibus libris rhetoricis „oratore“ excepto eloquentiam in quinque partes distribuisse. Quae res propterea nos summa admiratione afficere debet, quod in „Bruto“, quem eodem anno edidit, quo „oratorem“ [a. 46 a. Chr. n.] non modo nihil de memoria reicienda commemoravit, sed quinque illas partes in iisque memoriam oratori maxime necessarias esse dixit; est enim Brut. 59, 214: „Sed ei tamen unum illud habebant, dicendi opus elaboratum; idque cum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. In quacunque enim una plane clauderet, orator esse non posset.“ Atque aliis quoque locis eiusdem libri quinque partium mentionem fecit sive eas enumeravit; quos, cum iam supra in medium protulerimus, hoc loco praeterire liceat.[2])

---

1) de or. III, 56, 213–61, 227.

2) Quin etiam egregiam nonnullorum oratorum memoriam in „Bruto“ summa laude extulit; sic Brut. 76, 265: „Erant“ inquit „in eo [sc. L. Torquato] . . . divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia;“ seu Brut. 88, 301: „ . . . Primum memoria

Quo modo fieri potuerit, ut Cicero, qui nomine optimi oratoris et rhetoris certissime dignus est, sententiam suam cum eaque praecepta rhetorica tam brevi tempore — intra duos annos — iterum atque iterum mutaverit, etsi ex ratione mathematicorum demonstrare non possumus, attamen satis certo suspicari licet. In omnibus enim libris rhetoricis praeter „Brutum“ et „oratorem“ noster id egit, ut legentes arte rhetorica eiusque partitione vel parte aliqua eloquentiae institueret, id quod praecipue cognoscitur in libris, qui „de inventione“, „topica“ „de partitione oratoria“ inscribuntur. Itaque mirari non debemus, quod in iis omnes partes omniaque praecepta artis ex sollemni usu attulerit. Quare etiam in libro „de optimo genere oratorum“ memoriam bono iure ab eo laudatam esse negare non possumus, nam voluit, ut scimus, oratorum eloquentissimorum Demosthenis et Aeschinis orationes „περὶ στεφάνου“ et „κατὰ Κτησιφῶντος“ inscriptas convertere, ut ii, qui eloquentiae studiosi erant, praeclara exempla haberent, eique conversioni hunc libellum praeponere praefationem. Itaque totius operis finis erat utilitas, ut ipse dixit de opt. gen. or. 5, 13: „ . . . putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium,[1])“ eamque ob rem etiam memoriam, quae semper oratori haud parvam utilitatem praeberet, affere potuit. In „Bruto“ autem, ubi noster historiam artis rhetoricae tractavit in aliisque oratoribus alias virtutes et facultates laudibus extulit, memoriam, qua nonnulli oratores praeter ceteros floruerunt, silentio omnino praeterire nullo modo potuit. Restant libri „de oratore“; quorum

tanta [sc. in Hortensio], quantam in nullo me cognovisse arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset.“

1) cfr. de opt. gen. or. 7,23.

finis, quamquam non tam aperte ante oculos positus est nec tam facile intellegitur, quam in reliquis libris, tamen ad instituendum et docendum spectat, id quod plurimis locis vel significatur vel claris verbis exprimitur. Cuius rei demonstrandae causa paucos locos quosdam proferamus. Antonius de or. II, 7, 29 dixit: „docebo vos, discipuli, . . . quid de omni genere dicendi sentiam“ vel II, 22, 90: „Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus . . .“, vel ibidem 47, 196: „Quamobrem hoc vos doceo . . . bonus ego videlicet atque eruditus magister;“ et similiter Sulpicius de or. III, 12, 47 de Antonio: „quoniam“ inquit „monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitaremur“, seu Crassus de or. III, 55, 212: „Itaque hoc loco nihil sane est, quod praecipi posse videatur, nisi ut . . .“ Atque eadem vel similia invenimus multis aliis locis, quos omnes hoc loco describere non libet; quare eos in usum huius rei studiosorum infra enumerare liceat.[1]) Ex omnibus autem cognoscere possumus Ciceronem in libris, de quibus agimus, eum finem esse voluisse, ut legentes imbuantur arte rhetorica;[2]) quapropter in iis quoque nullam eloquentiae partem omittere potuit nec debuit.

At longe aliter res se habet in „oratore“, ubi Cicero, ut supra iam tetigimus, docere vel instruere non vult, id quod ipse compluribus locis certis verbis aperuit; quos, cum hoc loco summae gravitatis sint, omnes in medium proferamus. Ac primum quidem scriptum videmus or. 14, 43: „Nulla praecepta ponemus . . ., sed excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrabimus;“ et paullo post or. 17, 55: „ . . . de quo plura dicerem,

1) de or. I, 1,4—2,5. II, 11,44; 16,69; 17,71; 20,87; 24,99; 50,204; 54,216; 57,223; 71,290; 81,333; 90,366. III, 5,19; 6,25; 10,37; 13,48; 27,105; 30,121; 36,147; 52,201; 60,224.

2) cfr. Cic. „de or.“ ed. Piderit-Harnecker[6] p12.

si hoc praecipiendi tempus esset . . ;“ deinde eadem fere dixit or. 31, 112: „Illud tamen, quod iam ante diximus, nihil nos praecipiendi causa esse dicturos atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri;“ tum legimus or. 33, 117; „Quando autem aut quomodo id faciat nihil ad hoc tempus, quoniam, ut supra dixi, iudicem esse me, non doctorem volo;“ accedit etiam or. 35, 123: „Quoniam autem non quem doceam quaero, sed quem probem, probabo . . .“ et ad extremum afferatur or. 41, 141: „Sed si profitear — quod utinam possem! — me studiosis dicendi praecepta et quasi vias, quae ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id iustus rerum existimator reprehendet?“ Quibus ex locis haec cognoscimus: Cicero in „oratore“ non magister vel doctor artis rhetoricae praecepta dedit, sed existimatoris vel iudicis modo explicavit, quod eloquentiae genus summum et perfectissimum iudicaret aut, ut scripsit or. 2,7: „in summo oratore fingendo talem informare“ voluit, „qualis fortasse nemo fuit;“ id unum igitur in „oratore“ studuit, ut formam et speciem praestantissimi, perfectissimi, eloquentissimi oratoris ante oculos poneret.[1]) Quae cum ita essent, iis partibus, quae ei non ita graves visae sunt, postpositis vel etiam omissis id unum exposuit atque disseruit, quod oratori perfecto maxime necessarium esse existimavit, i. e. elocutionem.

Memoriam autem ea de causa in hoc libro supervacaneam esse dixit, quia „multarum artium communis“ esset, quas certissime perfectus ille, qui praestantissimis animi facultatibus ac viribus praeditus esset, per sese iam animo complecteretur.

Ex iis igitur, quae antecedunt, videmus Ciceronem de numero partium, prout res et finis cuiusque libri

---

1) cfr. Cic. „de or.“ ed. Piderit-Harnecker^6 p. 12.

postularent, aliis locis alia praecepisse seu potius alia ratione disseruisse.

Iam nostrum erit ea, quae de gravitate singularum eloquentiae partium docuerit, in medium proferre. Primum nobis afferendum est Brut. 6, 25, ubi de artis rhetoricae difficultate loquitur eamque his verbis demonstrare conatur: „Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur [sc. eloquentia], earum una quaeque est ars ipsa magna per sese. Quarum quinque artium concursus maximarum, quantam vim quantamque difficultatem habeat, existimari potest.“ Quamquam omnes partes hoc loco summa laude affecit, tamen elocutioni, cui ceteri rhetores inde ab Aristotelis aetate inventionem longe praetulerant, maximam gravitatem attribuit, id quod aperte compluribus locis dixit, quos in iis, quae sequuntur, referre nobis liceat. De or. II, 27, 120 enim scriptum videmus: „Itaque cum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum quid, deinde quomodo dicamus; alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit, videre; alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate, copiose varieque dicere.“ Quocum loco optime consentit Brut. 29, 110, ubi inventionem sine elocutione nihili esse his verbis expressit: „Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere.“ Item in „oratore“ elocutionem reliquis partibus etsi non necessitate, attamen arte multum praestare declaravit; nam or. 14, 44 haec scripsit: „Ac duo breviter prima [sc. inventio et dispositio]; sunt enim non tam insignia ad maximam laudem quam necessaria et tamen cum multis paene communia;“ et ibidem 16, 51: „Sed, ut ante dictum est, in his partibus, etsi graves atque magnae sunt, minus et artis est et laboris.“ [sc. in

inventione et in collocatione.] Duobus, quos ex oratore attulimus locis de tribus partibus: inventione, collocatione, elocutione ita agitur, ut scriptor semper primas elocutioni tribuat. Atque idem clarissime demonstravit ea re, ut hanc partem in tertio eorum, quos inscripsit „de oratore" librorum[1]) et in toto „oratore" diligentissime copiosissimeque tractaret.

Reliquum est, ut exponamus, quomodo Cicero illas partes definierit; cuique autem definitioni collocationem nominum eius partis, de qua agetur, adiungemus, quo melius intellegatur, quae nomina ab usitatis discrepantia Cicero singulis partibus attribuerit. Primum igitur inventionis definitionem proferamus; quae est de inv. I, 7, 9 haec: „Inventio est excogitatio rerum verarum aut verisimilium, quae causam probabilem reddant." Atque huic circumscriptioni optime consentit inventionis significatio, quam legimus de or. I, 42, 187, ubi pro „invenire" dicitur „excogitare"; neque aliud sensit noster, cum scriberet „reperire", quod vocabulum exstat de or. I, 31, 142 et Brut. 59, 215. Sed duobus locis M. Tullius primam quinque illarum partium obscurius expressit sive significavit; dixit enim de or. I, 15, 64: „. . . is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus nomine, qui . . . prudenter et composite et ornate et memoriter dicet cum quadam actionis etiam dignitate," et Brut. 63, 227: „Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat etc." Utroque loco eloquentiae partium mentionem fecit; sed cum reliquas verbis apertis significaret, inventionem non commemoravit; nam verbis „prudenter dicet" et „rem videbat acute" non inventio dicitur, sed iudicium, quod his locis prima pars negotii oratoris pro-

1) De or. III, 10, 37—14, 55; 25, 96—27, 107; 37, 149—55, 212.

fertur. De hac partitione depulsus post in „oratore“ iudicium cum inventione coniunxit, ut videmus or. 14, 44: „Nam et invenire et iudicare, quid dicas, magna illa quidem sunt et tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae quam eloquentiae;“ et or. 15, 48: „Iudicium igitur adhibebit nec inveniet solum quid dicat, sed etiam expendet.“ Et de iudicio quidem Quintiliani sententiam rectissimam esse existimamus; ille enim inst. or. III, 3, 5—6[1]) scripsit: „His adiecerunt quidam sextam partem, ita, ut inventioni iudicium subnecterent, quia primum esset invenire, deinde iudicare. Ego porro ne invenisse quidem credo eum, qui non iudicavit: neque enim contraria, communia, stulta invenisse dicitur quisquam, sed non vitasse. Et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inventioni: mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum [nam neque dispositio sine eo neque elocutio fuerit], ut pronuntiationem quoque vel plurimum ex eo mutuari putem.“

Sed redeamus ad definitiones, quas legimus de inv. I, 7, 9, ubi Cicero inventione descripta hoc modo pergit: „Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio.“ Eadem pars circumscribitur verbis „composite dicere“ de or. I, 15, 64, „dispensare atque componere“ de or. I, 31, 142, „disponere“ de or. I, 42, 187 et de or. II, 19, 79, „collocare“ de part. or. 1, 3.

Sequitur de inv. I, 7, 9 elocutio, quae est „idoneorum verborum [et sententiarum] ad inventionem accommodatio, de qua noster seu „ornate dicere“[2]) seu „vestire atque ornare“[3]) seu simpliciter „ornare“[4]) seu „eloqui“[5]) dixit.

1) ed. Meister in „Bibliotheca scriptorum graecorum et romanorum edita curante C. Schenkl“. Lips.-Prag. 1886.

2) de or. I, 15, 64. 3) de or. I, 31. 142.

4) de or. I, 42,187. II, 19, 79. 5) de part. or. 1.3.

Tunc memoriam l. c. hoc modo definivit: „Memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio“ eamque appellavit Brut. 61, 219 „custodem ceterarum ingenii partium“ et similiter de part. or. 1, 3 „custodem earum rerum omnium“ i. e. reliquarum eloquentiae partium, seu de opt. gen. or. 2, 5 „fundamentum omnium rerum.“

Pronuntiationem denique de inv. I, 7, 9 ita circumscripsit, ut diceret: „Pronuntiatio est ex rerum et verborum dignitate vocis et corporis moderatio“, quibus verbis addatur or. 17, 55: „Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, cum constet e voce atque e motu.“ Eamque partem vocavit de or. I, 15, 64 et ibidem 31, 142 „actionem cum dignitate et venustate“, cum ei de or. I, 42, 187, verbum „agere“ vel de or. II, 19, 79 verba „agere ac pronuntiare“ subiungeret; iis denique locis, qui supersunt, i. e. Brut. 59, 215; 63, 227; or. 17, 54; de part. or. 1,3 simpliciter substantivo „actione“ usus est.

De inventione.

In inventione oratoris est eas res, quae causam suam probabilem reddant, acumine, ratione, diligentia[1]) investigare; quae res, ut per se, intellegitur, in aliis orationis generibus aliae esse debent: ergo de iis reperiendis ordine trium generum illorum: demonstrativi, deliberativi, iudicialis agendum est.[2]) Quoniam autem res, si inventae sunt, singulis orationis partibus subiungendae iisque ordinandae sunt, optime eae in singulis generibus illarum partium ordine explicabuntur. Et hanc quidem rationem

1) de inv. I, 7, 9. de or. II, 34, 147. de part. or. 2, 5.

2) Quodsi Cicero in altero librorum „de inventione“, ubi illa genera pertractavit, hunc ordinem non secutus est, sed omnino immutavit, quamquam eum de inv. I, 5, 7 et I, 7, 9 induxit: hanc inconstantiam comprobare nullo modo possumus.

Cicero in genere iudiciali plane adhibuit; in reliquis autem, demonstrativo et deliberativo, idem facere non potuit, quia in iis nonnullas partes supervacare putavit[1]) — qua de re accuratius nobis infra disputandum est — et quia illis, quasi levioribus, postpositis summum operae ac laboris in praeceptis de genere iudiciali sibi consumendum esse existimavit.

Illae autem partes, quamquam re vera ad „dispositionem" pertinent, tamen a Cicerone semper fere sub „inventione" tractatae sunt; sed duos locos excipere debemus. De or. II, 76, 307 enim Antonius de sua consuetudine orationem conficiendi dicit partesque orationis sub „ordine collocationeque rerum ac locorum" persequitur; hoc recte se habere, quis est, qui neget? si vero illic in „principio" de locis, unde sententiae ducendae essent, praecepta dedit [de or. II, 79, 321] illud comprobare non possumus; nam de iis non sub „dispositione", sed sub „inventione" exponere debuit. Videmus igitur eum, ut aliud vitium effugeret, aliud commisisse. Alter autem locus, or. 15, 50, nihil habet offensionis, cum Cicero illic sub „collocatione" de nonnullis orationis partibus dicat, locos vero, unde res ad eas melius et facilius elaborandas sumantur, non proferat.

Itaque Cicero quodammodo suo iure partes orationis locorum causa „inventioni" subiecit in eaque pertractavit.

Quibus de partibus pluribus locis disputatur, sed, quod ad numerum earum attinet, non semper eadem praecipiuntur; nam cum Cicero in prioribus scriptis sex partes orationis esse dicat, in posterioribus quattuor tantum ab eo afferuntur. De inv. I, 14, 19 has sex partes invenimus: exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, conclusionem. Digres-

1) de part. or. 4, 13; 21, 71; 27, 97.

sionem autem, quam Hermagoras aliique rhetorum graecorum ante conclusionem interseruerunt [de inv. I, 51, 97. de or. II, 19, 80] nec Cicero neque Antonius in numero partium ponere voluit, quamquam uterque nonnunquam a proposito digredi, imprimis in perorando, non inutile esse putavit.[1])

Etiam Crassus de or. I, 31, 143 orationem in sex partes divisit; eae autem non modo non iisdem verbis ac de inv. I, 14, 19 significantur, verum etiam ab illis discrepant, cum Crassus tertiam propositionem, non partitionem esse vellet; nam eam l. c. his verbis expressit: „postea controversiam constituendam" [sc. esse acceperam].

Antonius[2]) vero, quamquam de or. II, 19, 80 septem partes rhetorum graecorum enumeravit, tamen de or. II, 76, 307—81, 332 quinque partes fecit et tractavit: principium, narrationem, propositionem, argumentationem, quae confirmationem et reprehensionem quaereret, conclusionem. Quae partitio iam ea inducere videtur, quae Cicero in posterioribus libris de hac re docuit; in iis enim propositionem omnino reliquit et quattuor tantum partes protulit; nam or. 35, 122 con-

1) de inv. I, 19, 27; de or. II, 77, 311; Brut. 21, 82; de part. or. 4, 14; 15, 52; 36, 128; cfr. Volkmann: „Rhet. d. Gr. u. R."[2] p. 165.

2) Idem Antonius de or. II, 80, 329 quattuor tantum partes commemoravit; sed hoc non tanti esse existimamus, ut nobis quaerendum sit, qua de causa propositionem praetermiserit, primum quia hic locus corruptus esse videtur [cfr. Piderit-Harnecker[6] II. p. 394 sub 80, 329], deinde, quia Antonius illic partes in transcursu modo tetigit easque inter praecepta de narratione interposuit; dixit enim l. c.: „. . . sed hoc magis in hac [sc. narratione] elaborandum est, quod et difficilius est non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio aut in argument[o aut purg]ando aut in perorando." [Piderit-Harnecker.]

firmationem et reprehensionem ita inter se coniunxit, ut eas, sicut Antonius fecit, sub nomine argumentationis comprehendere possimus; de part. or. 1, 4 autem et 8, 27 mirari non debemus, quod praeter principium, narrationem, perorationem, quartam solum confirmationem exhibuit; nam eam orationi fidem facere ipse de part. or. 8, 27 explicavit et paullo post 9, 33 filio interroganti, quae res ad fidem faciendam pertinerent, respondit eas in confirmationem et reprehensionem distribui; itaque nobis arbitrandum est, Ciceronem in hoc libro vocabulo „confirmatione" idem significare voluisse, quod Antonius „argumentationem" dixit.

Facilius autem quattuor illae partes intelleguntur ex top. 26, 97—98, ubi vocantur: principium, narratio, fides, peroratio.

Restat ille locus or. 15, 50, ubi partes orationis collocationi subiciuntur; sed illic tantum principium atque argumentatio reliquis partibus praetermissis commemorantur; nam: „Iam vero," inquit Cicero, „ea, quae invenerit [sc. orator], qua diligentia collocabit?... Vestibula nimirum honesta aditusque ad causam faciet illustres, cumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema inculcabitque leviora."

Sed nos in genere iudiciali describendo — nam illic omnes partes explicandae sunt — neque illam distributionem, quae constat ex sex partibus, neque hanc, quae quattuor tantum habet, accipiemus; nobis proxime ad Antonii sententiam accedere placet ita, ut has partes exponamus: primum exordium; deinde narrationem; tum propositionem; post argumentationem, quae confirmationem, reprehensionem, praecepta de adhibendis locis in singulis constitutionibus continebit; ad extremum conclusionem. Propositionem autem propterea cum par-

titione coniungendam esse arbitramur, quia de inv. I, 22, 31 sequ. in prima parte „partitionis“ eadem proferuntur, quae de propositione dicenda sunt; deinde, quia propositio ipsa verbis apertis de or. I, 31, 143; II, 19, 80; 80, 331 postulatur. Argumentationem autem quartam partem orationis appellare volumus, quod confirmatio a reprehensione separari non potest, sed semper altera alterius rationem habere debet, sicut postea demonstrabitur, ubi latius et fusius de argumentatione dicemus.[1])

I. De genere demonstrativo.

In genere demonstrativo, ubi aut laudat aut vituperat orator, loci ex iis rebus sumantur oportet, ut Cicero de inv. II, 59, 177—178 docet, quae personis attributae sunt; itaque orator animum advertere debet ad nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, orationes;[2]) quae res etiam in animum, corpus, extrarias res[3]) distribuuntur et oratoris est demonstrare, quomodo is, de quo dicitur, iis usus sit. Simili ratione Antonius, quamquam, ut scimus, hoc genus in materiam oratoris recipi noluit, de eo praecepit; nam fortunae bona, quae aut corporis essent aut extranea, virtutesque in eorum usu exponendas esse dixit[4])

1) Quamquam in „inventione“ ea tantum exponenda sunt, quae invenire orator debet, tamen hic illic de tractatione quoque nonnullarum rerum dicendum est, primum, quia saepe aliquid sub alia parte officii oratorii non modo non rectius, sed multo minus apte proferri potest, deinde, quia Cicero, cuius praecepta de arte rhetorica nobis conferenda et comparanda sunt, saepe tractationem alicuius partis seu rei sub „inventione“ exposuit. cfr. Thiele l. c. p. 96 sequ.

2) de inv. I, 24, 34. II, 9, 28—31.

3) cfr. de part. or. 22, 74. top. 23, 89.

4) de or. II, 11, 45—46; 84, 342.

et virtutes in duas partes divisit: in eas, quae in „moribus hominum et quadam comitate ac beneficentia“ collocatae essent, in easque, quae in „ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac robore“ versarentur. Deinde eos quoque laudandos esse explicavit, qui res adversas sapienter et cum dignitate tulissent; et ne honores quidem, decreta virtutis praemia, facta comprobata praetermitti, sed omnes res „magnitudine praestabiles aut novitate primas aut genere ipso singulares“ commemorari deberent; neque comparationes cum aliis viris excellentibus prolatas sine magno commodoque fore existimavit.[1]) Diligentius autem et copiosius de bonis malisve animi agitur de part. or. 22, 74—23, 80; illic iterum externa, corporis, animi bona reperiuntur, virtutes autem in duas partes dividuntur: in eas, quae scientia, in easque, quae actione cognoscerentur; cumque in illa prudentia, calliditas, sapientia valerent, in hac temperantiam maxime versari l. c. discimus. Sapientiae „ministrarum comitumque“ Cicero aliam diiudicare sensit, „quae essent in disputatione vera atque falsa quibusque positis quid sequeretur“, aliam oratoriam appellavit, quia eloquentia nihil esset, nisi „copiose loquens sapientia.“[2]) Temperantiam autem et in suas res et in communes distribuit; illi, quam magnitudinem animi appellavit, abstinentiam, fortitudinem, patientiam, liberalitatem, altitudinem animi subiecit; in hac vero, quae iustitia diceretur, religionem, pietatem, bonitatem, fidem, lenitatem, amicitiam esse docuit.[3]) At summam laudem ex omnibus virtutibus verecundiam sumere oportet.

---

1) de or. II, 84, 342—85, 348.

2) de part. or. 23, 78.

3) de part. or. 22, 77—78. cfr. de inv. II, 53, 159—54, 165, quem locum infra in genere deliberativo tractabimus.

Praeter hos animi habitus[1]) alii quoque sunt, quos „ficti animi habitus" vocavit; quorum nonnullos enumeravit de part. or. 23, 80, ut: studia litterarum etc.

Sin vitia vituperanda sunt, contrariae res explicari debent, sed caveat orator, ne vitia, quae virtutibus similia videntur, eum fallant.[2])

Totum autem hoc genus Cicero de part. or. 21, 71 in narratione factorum constare dixit, quae non tam fidem facere, quam animorum motus tractare[3]) deberet; quare orator in orationibus eiusmodi maxime praecepta narrandi atque amplificandi sequitur, de quibus infra in genere iudiciali plura dicemus; denique etiam verborum et rerum ornamenta in hoc genere optime aptissimeque adhibentur.

II. De genere deliberativo.

Si oratori de rebus expetendis agendum est, Cicero de inv. I, 52, 157—58, 176 haec maxime ab eo considerari vult: honestatem, quae esset aut simplex aut cum utilitate iuncta, utilitatem, necessitudinem, affectionem; sin autem de rebus fugiendis: turpitudinem et inutilitatem. Honestum, quod totum propter se expetitur,[4]) virtutem quoque vocare possumus; cui quattuor partes subiunguntur: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia;[5]) earum autem particulas hoc loco enumerare operae pretium esse non putamus. Quod honestum autem cum utilitate iungitur,[6]) ei Cicero gloriam, dignitatem, amplitudinem

1) Sic enim Cicero de inv. II, 53, 159 virtutem definivit: „Nam virtus est animi habitus naturae modo atque rationi consentaneus."

2) de inv. II, 54, 165. de or. II, 85, 349. de part. or. 23, 81.

3) cfr. de part. or. 17, 58.

4) de inv. II, 53,159—54,165.

5) cfr. de part. or. 22,77—23,78 et supra sub genere demonstrativo.

6) de inv. II, 55,166—168.

attribuit. Utilitatem[1]) vero in duas partes divisit: incolumitatem et potentiam. Atque in omnibus quidem, quae adhuc protulimus, et quid fieri et quid facile fieri possit[2]) oratori quaerendum est. Deinde Cicero etiam necessitudines[3]) partitus est, quarum aliae simplices et absolutae essent, aliae haberent causam quandam, cui nomen adiunctioni indidit. Maximam autem vim et necessitudinem honestati attribuit, minorem incolumitati, minimam commoditati. In affectione denique,[4]) qua ita res commutantur, ut aliter ac plerumque habendae esse videantur, „quid tempora peterent, quid personis dignum esset, quo quidque animo, quicum, quo tempore quamdiu fieret" considerandum esse Cicero ostendit.

Quibuscum magna ex parte consentiunt, quae Antonius de or. II, 81, 333—85, 348 de hac re docuit; controversiam enim in hoc genere fieri dixit, si quaereretur, „utrum utilius, aut, cum id conveniret, utrum honestati an utilitati potius consulendum esset." Deinde verbis ornatis[5]) explicari oportere, „quid fieri posset, aut non, quidque necesse esset, aut non esset,[6]) motusque animorum ab oratore excitari debere; maxime autem „adversa populi acclamatio" vitanda esset, quod quibus rebus fieri possit de or. II, 83, 338 discimus.

De part. or. 24, 83 sequ. autem Cicero in genere deliberativo aut de utilitate alicuius facti aut de facultate seu potestate faciendi agendum esse dixit. Cum de utilitate ambigeretur bona malaque[7]) exponenda esse.

1) de inv. II, 56,168—170.

2) de inv. II, 56,169. de part. or. 24,84. cfr. de or. II, 82,336. de part. or. 24,83.

3) de inv. II, 57,170—58,175.

4) de inv. II, 58,176.

5) de or. II, 83,338.

6) de or. II. 82,336. de part. or. 24,83.

7) cfr. de part. or. 17,58.

Bona autem l. c. in duo genera divisit: in necessaria et in non necessaria; cum illis alia genera non subiungeret, horum alia per se, alia commodi causa expeti contendit; quae per se expetenda essent, ea ab honestate vel ab virtutibus proficisci, quae vero utilitatis vel commoditatis causa, ea aut corporis aut fortunae bona esse.

Sed saepe fieri potest, ut utilitas cum honestate certet; quod si evenit, orator, ut Cicero praecepit, quaerere debet, utrum auditores indocti et agrestes sint, an humani et expoliti, cum illi nihil aliud, nisi „quaestum, emolumentum, fructus" spectarent, hi autem „laudem, gloriam, honorem, fidem, iustitiam" utilitati semper praeferrent.

Si vero in controversia esset, quid effici posset necne, oratorem primum de causis, quae rem conficerent, dicere debere, deinde ne rationem quidem efficiendi praetermittere.

In „topicis" denique Cicero deliberationibus ea attribuit, quae in aliis scriptis laudationibus; nam top. 23, 89 haec praescripsit: „In illud autem genus, in quo de expetendo fugiendoque quaeritur, adhibentur ea, quae sunt aut animi aut corporis aut externa vel commoda vel incommoda."[1])

In hoc genere Cicero etiam partium orationis nonnullam rationem habuit: principia brevia esse voluit de part. or. 4, 13 et 27, 97; in perorationibus autem ab oratore exempla[2]) ad augendum et amplificandum proferenda esse sensit in iisque oratorem, prout facultas ferret et res postularet, animos eruditorum aut commovere aut reprimere debere. Sed haec non solum in delibe-

---

1) Quibuscum confer, ne quae dubitatio fiat, quae top. 24,91 de generibus exposita sunt.

2) cfr. de part. or. 5,15.

rationibus docuit, sed etiam in reliquis generibus, imprimis in genere iudiciali, ut paullo post demonstrabimus.

III. De genere iudiciali.

In genere iudiciali de aequo et iniquo disserendum est, quorum loci a Cicerone, ut iam leviter tetigimus, ordine partium orationis quam accuratissime diligentissimeque exponuntur.

1. De exordio.

Exordium a Cicerone de inv. I, 15, 20 hac definitione circumscriptum esse videmus: „Exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem;" quod ab oratore perficietur, si eos, qui audiunt, benevolos, attentos, dociles conficiet.

Haec tria in omnibus scriptis rhetoricis postulantur, sed, sicut in aliis quoque praeceptis fieri solet, non semper eadem ratione exprimuntur. Iisdem verbis, quibus de inv. I, 15, 20, Cicero ea praescripsit de or. I, 18, 26; II, 19, 80; top. 26, 97; aliis autem usus est or. 35, 122, ubi dixit: „Quid enim iam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor aut erigatur aut paret se ad discendum;" et de part. or. 8, 28, unde haec afferantur: „Sumuntur [sc. principia] autem trium rerum gratia: ut amice, ut intellegenter, ut attente audiamur."

Quas res orator in aliis causarum generibus[1]) alia ratione consequi studet neque eodem exordio utitur, ut exemplum proferamus, si genus causae honestum est, quod adhibet, si est genus admirabile. Quare Cicero de inv. I, 15, 20 exordium in duas partes divisit: in principium et in insinuationem. „Principium," inquit illo loco, „est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum. Insinuatio

1) vide p. 41.

est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum.“ Cui partitioni nihil obicere volumus, quamquam necessaria nobis non videtur; at illud maxime admirandum est, quod tres illas res, quas supra finem exordii esse dixerat, hoc loco primae tantum parti attribuit earum, in quas exordium partitus est.

De usu autem illarum partium in singulis generibus causae de inv. I, 15, 21 haec fere praescripsit: Principium maxime adhibendum est in genere humili, ancipiti, obscuro, honesto, nisi forte orator, cum ei de honesta causa agendum est, orationem statim a narratione ordiri praefert; insinuatione vero orator in genere admirabili utetur, quamvis etiam principium saepe in eo locum habere potest.

Utraque pars locis quibusdam adiuvatur, quos Cicero de inv. I, 16, 22—18, 25 attulit; ubi prius eos tractavit, quibus orator auditores benevolos, attentos, dociles perficit, quam ad insinuationis praecepta transiret. In hac re autem non omnia, quae praescripsit, ad verbum referemus, cum facillime in Ciceronis scriptis et reperiantur et cognoscantur, praeterea autem Cicero, quamquam permultos locos enumeravit, tamen hunc illumve praetermiserit; quapropter maxima tantum et gravissima eligere nobis liceat.

Benevolentiam igitur orator quattuor ex locis comparare potest: a sua, ab adversariorum, ab iudicum persona, a causa. Id autem, ut auditores diligenter attendant, efficit, si de magnis, novis, inauditis rebus se acturum esse pollicetur. Dociles denique eos facit, si paucis atque dilucidis verbis summam causae exponit.

Insinuatione vero utitur orator, si aut causa turpis est aut adversarii auditoribus iam persuasisse videntur, aut illi, apud quos dicendum est, defessi sunt audiendo; idcirco eas res, quae auditorum animos abalienare solent,

insinuatione de medio removere causamque ad suam utilitatem convertere conatur; quod, qua ratione perfici possit, copiosius de inv. I, 17, 24—25 explicatum est.

At in libris posterioribus principii atque insinuationis discrimen nusquam reperimus in iisque Cicero semper vocabulo „principio“, quocunque loco exstat, pro exordio universo usus est, id quod optime demonstrat de or. I, 48, 209, ubi Antonius in „principio“ cuiusque disputationis explanandum esse dixit, „quid illud esset, de quo disputaretur.“ Quamobrem omnes loci, quos in illis principio subiecit, ad exordium, non ad partem eius singularem pertinent, quamvis magna ex parte cum iis consentiunt, qui inveniuntur in primo librorum „de inventione“ sub principio. Sic Antonius de or. II, 79, 321—323 ad benevolentiam auditorum capiendam sententias „aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex iis, apud quos agetur“ ducendas esse docuit; attentos autem et dociles auditores, ut maxime in principiis, ita in reliquis quoque orationis partibus faciendos esse recte iudicavit. De part. or. 8, 28—30 vero Cicero principia aut ex personis aut ex rebus sumenda esse dixit; ex personis autem aut „nostris aut disceptatorum aut adversariorum“, ut amice audiamur, ex rebus, ut attentos faciamus auditores eosque doceamus.

Cum praecepta, de quibus adhuc diximus, ad auditores benevolos, attentos, dociles conficiendos valeant, aliorum finis multo magis ad universum spectat. Debet enim exordium gravissimis sententiis instructum esse omniaque, quae ad dignitatem pertinent, continere[1]; quare orator in eo non verbis elatis ad offensionem adversarii, sed aptis ad commendationem sui utatur oportet;[2]) splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum ad-

1) de inv. I, 18,25. de or. II, 77,315. or. 36,124.

2) or. 36,124.

hibeat in principiis,[1]) quamvis saepius praecepta de amplificatione etiam ad hanc partem transferri possunt.[2]) De elaborando exordio Antonius de or. II, 77, 315 et 77,318 admonuit — nam monita tantum usus sui tradere vult[3]) — ut orator omnibus locis inventis postremum consideraret, quo uteretur principio, quia haec pars orationis „ex ipsis visceribus causae sumenda esset.“ Deinde principium ita narrationi ceterisque orationis partibus conexum esse oportere, ut „cohaerens cum omni corpore“ videretur.[4])

Atque etiam de principiis, quae praecipue ad constitutionem coniecturalem accommodata sunt, Cicero propria praecepta dedit de part. or. 35, 121. Illic enim accusatori commendat, iudicum animos ad acerbitatem excitare iisque suspitionem inferre, defensori, insidias accusatoris conqueri atque misericordiam et benevolentiam a iudicibus petere.

Denique admonendum est, ne quae vitia in exordio exsistant; quibus rebus ea committerentur, Cicero de inv. I, 18,26 exposuit, ubi hanc eorum enumerationem invenimus: „Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summo opere vitare oportebit: vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra praecepta;“ sequuntur definitiones, quibus Cicero ea circumscripsit. Postea autem nusquam de iis accuratius vel copiosius disseruit neque alio loco ea commemoravit ac de or. II, 77,315, ubi Antonius eorum his verbis mentionem fecit: „Nam si quando id [sc. exordium] primum invenire volui, nullum mihi occurrit nisi aut exile aut nugatorium aut vulgare aut commune.“

1) de inv. I, 18,25. 2) de part. or. 8,30.
3) de or. II, 20,87; 41,175. 4) de or. II, 80,325.

2. De narratione.

Narratio, quae fuit altera partium orationis, est ex Ciceronis definitione [de inv. I, 19,27] „rerum gestarum aut ut gestarum expositio“. Pluribus verbis eam circumscriptam videmus de part. or. 9,31, hoc modo: „. . . narratio est rerum explicatio et quaedam quasi sedes et fundamentum constituendae fidei;“ unde apparet, quantam ei Cicero gravitatem attribuerit.

Narrationes divisit de inv. I, 19,27 in tria genera: „unum est,“ inquit, „in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur; alterum, in quo digressio aliqua extra causam interponitur; tertium genus est remotum a civilibus causis.“ Sed illum ordinem in pertractatione generum non servavit; prius contra genus tertium eiusque partes et particulas exposuit, deinde genus primum descripsit.

Distribuit igitur hoc tertium genus in duas partes, „quarum altera in negotiis, altera in personis maxime versatur“ et, cum illi fabulam, historiam, argumentum subiceret, in hac simul cum rebus ipsis personarum sermones et animos perspici posse voluit. In extrema autem huius generis explicatione postulavit, ut quam maxima festivitas in eo adhiberetur, „confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, levitate, spe, metu, suspitione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunae commutatione, insperato incommodo, subita laetitia, iucundo exitu rerum.“

Tum de narratione, quae causam et rationem controversiae exponeret, praecepta dedit et de inv. I, 20,28 postulavit, ut ea brevis, aperta, probabilis[1]) esset.

---

1) cfr. or. 35,122; de part. or. 5,15. Quoniam loci, qui de inv. I, 20,28—21,29 sequuntur, optime facillimeque ex ipso Cicerone cognoscuntur, eos referre non placet; illud vero plane silentio prae-

Exspectamus tum praecepta quaedam de altera narrationis parte, in qua a proposita causa digrederetur; sed mirum de ea silentium. Postquam narrationem, in qua causa controversiae continetur, exposuit, statim ad universae narrationis praecepta transiit eaque de inv. I, 21,30 his verbis complexus est: „Illud autem praeterea considerare oportebit, ne, aut cum obsit narratio aut cum nihil prosit, tamen interponatur; aut non loco aut non, quemadmodum causa postulet, narretur."

---

terire non possumus Ciceronem plures locos, quos brevitati subiecit paullo post in praeceptis de aperta narratione repetivisse eademque etiam in praeceptis de universa narratione fecisse. Cuius rei, si non omnia proferre, at nonnulla certe exempla eligere nobis liceat. Scripsit igitur:

de inv. I, 20,28: Brevis erit [sc. narratio], si . . . non ab ultimo repetetur . . . et si nullam in aliam rem transibitur . . ."	de inv. I, 20,29: „Hic [sc. in aperta narratione] erit considerandum . . . ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur . . ."

Atque in his quidem praeceptis de brevi et aperta narratione, ipse intellexit locos alterius ab iis, quorum altera indigeret, plane separari non posse; itaque quae de aperta narratione dixit his verbis amplexus est: „et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda." Alio autem loco nihil invenire possumus, quod repetitionem excuset; dixit enim de inv. I, 20,28: „Brevis erit [sc. narratio] . . . si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest nec adiuvat praeteribitur," quae verba solum ad brevem narrationem pertinent. Nihilosetius Cicero de inv. I, 21,30, postquam omnia de narratione brevi et aperta et probabili dixit, quae voluit aut potuit, quasi alia praeciperet, haec scripsit: „Illud autem praeterea considerare oportebit, ne aut cum obsit narratio, aut cum nihil prosit, tamen interponatur." Haec exempla attulisse sufficiat, cum satis dilucide demonstrent illos locos, quos Cicero minimis quoque particulis subiunxit, non ita graves, ne dicamus necessarios, esse, ut eos huc transferamus, praesertim cum, sicut supra iam diximus, non semper omnes, qui exsistere possunt, enumeravit.

Proxime ad hunc locum, quem adhuc tractavimus, accedunt quae Antonius de or. II, 80,326—81,330 de narratione protulit, quamvis is, sicut iam animadvertimus, cum de exordio disputaremus, semper id egit, ut Graecorum praecepta, quae Cicero in libris „de inventione“ omnino accepit, deprimeret. Sic hoc quoque loco admonuit, ne nimia brevitate in narrando uteremur, cum ea et obscuritatem afferret et maximam virtutem narrationis, ut iucunda et ad persuadendum accommodata sit, deperderet; et paullo post obscuritatem narrationis iterum vituperavit, cum de or. II, 80,329 diceret: „narratio obscura totam obcaecat orationem,“ quia eius „unus in causa locus“ esset. Sed aliarum quoque rerum, quas de inv. I, 19,27—21,30 invenimus, mentionem fecit. Sic illam partem, quae in personis versatur quaeque illic tertio generi, a civilibus causis remoto, subiecta est, una cum narratione probabili et aperta de or. II, 80,328—329 commemoravit. Quae vero universe ab Antonio de narratione praescribuntur de or. II, 81,30, ea plane cum iis praeceptis consentiunt, quae exstant de inv. I, 21,30.

In ceteris libris rhetoricis Cicero plerumque id unum de narratione docuit, ut brevis, aperta, probabilis esset, quamvis aliis locis, ubi haec tria postulavit, aliis quoque vocabulis usus est.

Sic de or. II, 19, 80 Antonius: „deinde,“ inquit, „rem narrare ita, ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis;“ et or. 36, 124 eadem his verbis significantur: „Narrationes credibiles nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide.“ Si vero de part. or. 9, 31 praescribitur: „Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est; sed assumemus etiam suavitatem,“ nihil novi nobis praebetur, nam brevitatem, quam desideramus, cum narratione dilucida coniunctam

esse de part. or. 9, 32 discimus; suavitatem autem nihil aliud esse ac festivitatem, quae de inv. I, 19, 27 et de or. II, 80, 328, ut scimus, postulata est, intellegere possumus, si definitionem, quae exstat de part. or. 9, 32, cum illis locis comparamus.

Sed priusquam de eo loco, qui superest ab aliisque discrepare videtur, agamus, ea quoque commemoranda sunt, quae de part. or. 35, 121 de narratione in constitutione coniecturali adhibenda docentur; debet enim orator, sicut in exordio, ita in hac quoque parte suspitionem iudicibus inferre et defensionem obscurare, defensor autem suspitionum argumentis praeteritis omnia narrare, quemadmodum re vera facta sunt.

Alia vero praecepta tribus illis narrationis virtutibus, quas adhuc cognovimus, adiunxit Cicero top. 29, 97, ubi narrationum fines esse voluit, ut „planae essent, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratae, ut cum dignitate.“ Qua de re disputare non expedit, quoniam totos nos acerrimum illum existimatorem Quintilianum applicamus, qui inst. or. IV, 2, 64 illum Ciceronis locum attulit eique hoc iudicium adnexit: „Sed in oratione morata debent esse omnia cum dignitate, quae poterunt. Evidentia in narratione, quantum ego intellego, est quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, sed quodammodo etiam ostendendum est, sed subici perspicuitati potest.“

3. De propositione et partitione.

Postquam orator narrationem absolvit, causam, de qua ei agendum est, proponit. Hanc propositionem Cicero de inv. I, 22, 31 cum partitione coniunxit; nam prima illarum partium, in quas partitionem divisit, nihil aliud est ac propositio, sicut cognoscitur ex his verbis: „Una pars est, quae quid cum adversariis conveniat et

quid in controversia relinquatur ostendit.“ Et hoc quidem iam Volkmann[1]) animadvertit; si vero ille vir illustrissimus p. 173 vers. 5—6 contendit Ciceronem nusquam propositionem attigisse, facere non possumus, quin eum erroris insimulemus. Nam etsi Cicero vocabulo „propositione“ nusquam usus est, tamen huius partis pluribus locis mentionem fecit eamque planis et perspicuis verbis ita circumscripsit, ut prave intellegere, quae senserit, non possimus. Sic de or. I, 31, 143, ubi Crassus sex partes orationis enumeravit, tertiam earum, ut supra vidimus, hoc modo significavit: „postea controversiam constituendam“ [sc. esse acceperam]. Item Antonius de or. II, 19, 80 ex eadem occasione: „post autem,“ inquit, „dividere causam aut proponere;“ atque idem infra, de or. II, 80, 331, narratione pertractata dixit: „Sequitur, ut causa ponatur, in quo videndum est, quid in controversiam veniat.“

Sed illud recte a Cicerone factum esse putamus, ut propositionem et partitionem inter se conecteret; nam, si orator causam, de qua dicturus est, proponit simul partes, in quas eam distribuit, breviter exponet. Quae distributio altera est duarum partium, quas de inv. I, 22, 31 partitioni subiecit, „ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intellegat fore peroratum.“

Tria vero haec partitionis pars habeat oportet: brevitatem, absolutionem, paucitatem. Quae Cicero de his rebus praecepit magna ex parte de inv. I, 23, 33 repetivit, ubi universe de partitione egit omniaque praecepta, quae ad eam pertinent, ita comprehendit: „Atque his de partitione praeceptis in omni dictione meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in

---

1) Volkmann: „Rhet. d. Gr. u. R.“ ²p. 173.

partitione, sic ordine transigatur et omnibus explicatis peroratum sit [hoc modo], ut ne quid posterius praeter conclusionem inferatur."

De origine denique huius partis de eiusque usu apud oratores latinos non mediocria esse putamus, quae Cicero Brut. 87, 302 tradidit: Hortensium primum partitiones, quibus de rebus dicturus esset, attulisse.

4. De argumentatione.

Ut graeci rhetores, ita Cicero quoque in argumentationem sive ad probandum faciendamve fidem summum laborem impendit, quem praecipue in libris „de inventione" animadvertimus, cum in iis Graecorum opera sibi exempla proposuisset, e quibus „commodissime praecepta excellentissimaque" excerpsit.[1]) Quare in iis omnes partes particulasque locorum, quorum orator in argumentando indiget, accuratissime maximaque diligentia exposuit, cum eas in aliis scriptis rhetoricis nusquam, si „topica" excipiuntur, simili, nedum pari ratione explicaret.

Argumentatio Ciceroni videtur esse „inventum aliquo ex genere rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie demonstrans."[2]) Constat autem ex confirmatione et reprehensione, quas in primo librorum „de inventione" separatim a Cicerone pertractatas videmus, quamquam ipse de inv. I, 42, 78 dixit aliquam rem ex iisdem locis et confirmari et infirmari posse atque de reprehensione propria praecepta dare non modo non necessarium, sed supervacaneum esse sensit.[3]) Quare postea eas inter se coniunxit et iam in altero libro „de

1) de inv. II, 2, 4.

2) de inv. I, 29, 44; simillime de inv. I, 40, 74.

3) de inv. I, 42, 78: „Verumtamen, ut quaedam praeceptio detur huius quoque partis [sc. reprehensionis], exponemus modos reprehensionis."

inventione", ubi rationem argumentandi in singulis constitutionibus exposuit, statim cuique accusationi defensionem adnexam invenimus, in utraque autem eosdem argumentorum locos adhibitos ita, ut accusator saepe iam in arguendo defensoris argumenta infirmet, defensor vero, priusquam sua confirmet, semper fere accusatoris argumenta refutet. Quae coniunctio claris verbis etiam ab Antonio de or. II, 81, 331 postulatur; „namque," inquit, „una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confimationem et reprehensionem quaerit; sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco haec et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt." Etiam or. 35, 122, ubi Cicero partes orationis enumeravit in iisque praecepta de argumentatione sub unum conspectum subiecit, confirmationem et reprehensionem coniunxit atque idem fecit de part. or. 9, 33, cum filium hanc rem doceret.

Fides autem alicuius rei facienda est argumento i. e. „ratione", ut top. 2,8 describitur, „quae rei dubiae faciat fidem.[1]) Quae argumenta latent in locis quibusdam, unde, quasi e sedibus, promantur oportet.[2]) Itaque illi loci summam habent gravitatem et necessitatem, ut Cicero persaepe pluribus explicavit. Sic Antonium de or. II, 27, 118 Cottam et Sulpicium fecit adhortantem, „ut locos multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos" haberent. Etiam de or. II, 30, 130 necesse esse dixit „habere certos locos, qui, ut litterae ad verbum, sic ad causam explicandam occurrerent." Huc

1) cfr. de part. or. 2, 5, ubi Cicero argumentum „probabile inventum ad faciendam fidem" appellavit.

2) de part. or. 2, 5. top. 2, 7.

spectant non minus de or. II, 61, 175 et top. 2, 7, ubi eadem postulantur, quae locis ante peractis.[1])

Ea autem argumenta, quae orator invenit, ordinanda nec sine iudicio[2]) adhibenda esse per se intellegitur; nihilominus Cicero id imprimis praecepit, cum de inv. I, 30, 50 „inventa exornari et certas in partes distingui“ postularet et de part. or. 3, 8 iudicium propterea adhibendum esse diceret, „ut levia semper eicerentur, nonnunquam etiam communia praetermitterentur et non necessaria.“[3])

a. De confirmatione.

Maxime oratori id studendum est, ut auditoribus persuadeat ab iisque omnia, quaecunque dixerit, comprobentur; id perficitur confirmatione, per quam, sicut Cicero de inv. I, 24, 34 dixit, „argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio.“ Sed quo celerius et facilius orator ea, quae contendit, confirmare possit, Cicero certos locos, quos supra iam attigimus, summa cura explicavit, quos omnes, qui ad dicendum accedunt, penitus perceptos et comprehensos habere necesse est.

Quos locos de inv. I, 24, 34 sequ. in duo genera divisit, quorum alterum ex personarum, alterum ex negotiorum attributis constat. Ad personas autem nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes[4]) pertinere dixit, quas res magna industria et assiduitate declaravit. Sed illas definitiones praeterire placet, nam — ut iterum dicamus —

---

1) Alii loci, ubi de locorum utilitate, gravitate, necessitate agitur, sunt: de or. II, 34, 146—147; top. 17, 66; or. 14, 44; 14, 46.

2) cfr. or. 15, 48; de or. II, 76, 309.

3) cfr. de or. II, 41, 175; top. 2, 6.

4) cfr. de inv. II, 9, 28—31.

quoniam nihil addendum est, nos ad verbum eas exscribere oporteret, id quod inutile nobis visum est et non consentaneum. Item eas quoque res referre non opus est, quas Cicero singulis attributis quasi partes subiunxit, primum quia in tanta varietate causarum omnes plane et absolute enarrare nemo potest, deinde quod saepe noster nonnullas attulisse satis esse putavit ita, ut exempli causa positae esse videantur; sic, ut unum ex pluribus proferamus, de inv. I, 25,36 paucis affectionibus commemoratis earum, quae supererant, mentionem non fecit nisi his verbis: „et alia, quae in eodem genere reperiuntur."

Alterius autem generis locorum quattuor sunt partes; nam ea, quae negotiis sunt attributa, „partim sunt continentia cum ipso negotio, partim in gestione negotii considerantur, partim adiuncta negotio sunt, partim gestum negotium consequuntur,[1]) ut Cicero de inv. I, 26,37 docuit. Cuius generis partes iterum, ut illius, in minores minimasque particulas distribuuntur, de quibus permulta dicta sunt de inv. I, 26,37—28,43.

His locis igitur argumentatio adiuvatur iisque fit aut probabilis, si quid explicatur, „quod fere solet fieri sive quod in opinione positum est sive habet in se ad haec quandam similitudinem;[2]) aut necessaria exsistit, si ea, quae dicuntur, „aliter nec fieri nec probari" possunt;[3]) quod genus conficitur aut complexione, „in qua utrum concesseris reprehenditur," aut enumeratione aut simplici conclusione.

Atque haec quidem, quae adhuc de locis protulimus, Cicero de inv. I, 30,49 „fontem" confirmationis appellavit. In iis autem, ut facile intellegitur, proprii

---

1) cfr. de inv. II, 12,38—42.

2) de inv. I, 29,46.

3) de inv. I, 29,44.

orationis generis certaeve causae seu constitutionis rationem non habuit; oratorem eligere[1]) ex iis voluit, quos maxime aptissimeque ad suam rem probandam proferat. Sed ipse Cicero de hac locorum explicatione duobus locis simillimis verbis sententiam suam aperuit, quorum gravissimus, de inv. I, 24,34 legitur hoc modo: „Verumtamen non incommodum videtur quandam silvam atque materiam universam ante permixtim et confuse exponere omnium argumentationum, post autem tradere, quemadmodum unum quodque causae genus hinc omnibus argumentandi rationibus tractis confirmari oporteat;“ quibuscum conferatur de inv. I, 30,49, ubi iterum de locis „confuse et permixtim dispersis“ loquitur.[2])

Quoniam autem orator locos, quos invenit, necessarie in partes distinguere debet, Cicero iis praeceptis, quae modo cognovimus, alia adiunxit pertinentia ad rationem argumentandi; quae, quamquam rectius in inventione non tractantur,[3]) tamen huic parti subiunxit, quia gravissima maximeque necessaria essent.[4])

Et potest adhiberi in argumentando aut inductio aut ratiocinatio. In illa, „quae rebus non dubiis captat assensiones eius, quicum instituta est,“[5]) orator ad tria maxime animum advertere debet, sicut Cicero praescripsit de inv. I, 32,53—54; primum res, quae inducuntur, „eiusmodi sint, ut eas concedere necesse sit,“ deinde res inducendae similes esse debent iis, quarum causa inductio fit; post cavendum est, „ne intellegatur, quo spectent illae primae inductiones.“

De ratiocinatione vero, quae ex ipsa re probabile

---

1) or. 15,47—48. 2) cfr. de inv. II, 3,11.
3) cfr. Thiele: „Quaest. de Cic. et Corn. art. rhet.“ p.99.
4) de inv. I. 30,50.
5) de inv. I, 31,51. de part. or. 13,46.

aliquid eruit, „quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet"[1]) alii aliud praescripserunt.

Sunt enim, qui eam in quinque partes distribuant:[2]) qui primum argumentationis summam exponi iubent, deinde eam in altera parte approbari; tum ea, „quae ostendere volunt, ex vi propositionis assumenda esse" docent eiusque assumptionis „quarto in loco aliam porro inducunt approbationem;" quintam autem partem complexionem vocant, „quae aut infert solum, quod ex omnibus partibus cogitur . . . aut unum in locum cum conduxerit breviter propositionem aut assumptionem, adiungit, quid ex his conficiatur." Sunt igitur illae quinque partes: 1. propositio; 2. propositionis approbatio; 3. assumptio; 4. assumptionis approbatio; 5. complexio.[3])

Alii, qui tres modo partes ratiocinationi subiciunt propositionem et propositionis approbationem itemque assumptionem eiusque approbationem contrahunt, cum iis satis esse videatur propositionem, assumptionem, complexionem enumerare.

Ciceroni autem, ut ipse dixit de inv. I, 35, 61, „illa partitio, quae in quinque partes tributa est, commodior esse" videbatur. Quibus rebus commotus eam probaverit, de inv. I, 36, 62—37, 66 uberius exposuit ita, ut eandem argumentationem, qua propositionem ab eius approbatione separandum esse demonstravit, iisdem verbis repeteret, ubi de assumptione ab eius approbatione disiungenda egit.

Sed quamquam sine ulla dubitatione ratiocinationem quinquepertitam tripertitae praetulit, tamen eam semper ex omnibus quinque partibus constare debere prorsus non contendit, ut cum ex illa argumentatione, qua sententiae suae comprobandae causa usus est in

1) de inv. I, 34,57. cfr. de part. or. 13,46.
2) de inv. I, 34,58—59. 3) de inv. I, 37,67.

quaque et propositionem et assumptionem interdum sine approbatione proferri posse agnovit, tum ex his verbis perspicitur, quae exhibentur de inv. I, 37, 67: „Quae plurimas habet argumentatio partes, ea constat ex his quinque partibus; secunda est quadripertita; tertia tripertita; dein bipertita; quod in controversia est. De una quoque parte potest alicui videri posse consistere.“

Quadripertita fit ratiocinatio, si approbatio aut propositionis aut assumptionis propter perspicuitatem praetermittitur; tripertita autem exsistit, si utraque approbatio supervacanea est. Bipertitam[1]) vero Cicero accipere noluit, quia ratiocinatio, nisi concluderetur, adhiberi non posset maximeque oratori cavendum esset, ne, quod satis perspiceretur, id in complexionem inferret. Quod vitium facile orator effugeret, si genera complexionum cognita haberet. „Nam,“ inquit de inv. I, 40, 73, „aut ita complectemur, ut in unum conducamus propositionem et assumptionem ... aut ita, ut ex contrario conficiatur sententia ... aut ita, ut id solum, quod conficitur, inferatur ... aut, ut id, quod eam rem, quae conficitur, sequatur necesse est.“

Item illorum quoque sententiam improbavit de inv. I, 40, 74, qui ex una parte argumentationem constare posse putarent; nam argumentationem et „inventum aliquam in rem probabile aut necessarium[2]) et eius inventi expolitionem“ significare dixit, illos autem, cum exemplum ponerent: „quoniam peperit cum viro concubuit,“ inventum modo, non expolitionem proferre.

Cum Cicero in libris de „inventione“ locos argumentationis, ut ex iis, quae antecedunt, cognovimus, primum e rebus, quae personis, deinde e rebus, quae negotiis attributae sunt, educeret, in posterioribus scriptis rheto-

1) de inv. I, 40, 72—74.

2) cfr. de inv. I, 29, 44 sequ.

ricis primum eos, qui in re ipsa positi sunt, tractavit, tum eos, qui foris assumuntur; quam partitionem a Graecis accepit, sicut leviter tetigit top. 4, 24.[1]) Adhibitam autem eam videmus de or. II, 27, 116—117 ab Antonio; is enim l. c. primum res, quae „ad oratorem a causa atque a reis deferrentur quaeque ratione tractandae essent“ enumeravit, ut „tabulas, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatus consulta, res iudicatas, decreta, responsa;“[2]) ab iis deinde aliud genus locorum seiunxit, quod „totum in disputatione et argumentatione oratoris“ collocatum esset; itaque in illo genere „de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum esset.“[3]) Sed de argumentis tractandis Antonius praecepta non dedit, quia in iis nihil opus esset, nisi ut ratione tractarentur[4]) certisque dicendi luminibus ornarentur; argumenta vero invenienda „explicationem magis illustrem perpolitamque“ desiderare putavit.[5]) Quare eorum latiorem expositionem invenimus de or. II, 39, 163—40, 173, ubi ex sua vi argumenta sumi ait, „cum aut res, quae sit tota quaeratur aut pars eius aut vocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat . . . 164. Si res tota quaeritur,

1) top. 4, 24: „Quae autem assumuntur extrinsecus, ea maxime ex auctoritate ducuntur. Itaque Graeci tales argumentationes *ἀτέχνους* vocant, id est, artis expertes.“ Graeci enim argumenta distribuere solebant in *πίστεις ἐντέχνους* et in *πίστεις ἀτέχνους*; *ἔντεχνοι* ea significant, quae Cicero in rebus posita appellavit, quae vero extrinsecus assumi dixit, iis respondent *πίστεις ἄτεχνοι*. cfr. Volkmann: „Rhet. d. Gr. u. R.“ [2]p. 176 sequ.

2) cfr. definitionem, qua res huius generis de or. II, 39, 163 et de or. II, 40, 173 instruxit.

3) Eadem ratione locos divisit: de or. II, 39, 163; de part. or. 2, 5; or. 35, 122; top. 2, 8.

4) de or. II, 27, 116. de part. or. 14, 48.

5) de or. II, 27, 120.

definitione universa vis explicanda est. .. 165. Sin pars partitione ... Si ex vocabulo, ut Carbo: si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius? 166. Sin ab eo, quod rem attingit, plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam et coniuncta quaeremus et genera et partes generibus subiectas et similitudines et dissimilitudines et contraria et consequentia et consentanea et quasi praecurrentia et repugnantia et causas rerum vestigabimus et ea, quae ex causis orta sint, et maiora, paria, minora quaeremus."[1])

Eandem partitionem locorum, qui in re positi sunt, iisdem saepe verbis expressam reperimus top. 2, 8—4, 23; 4, 25—18, 71; qui vero extrinsecus sumuntur loci, eos top. 4, 24 et 19, 72—78 ex auctoritate testimoniorum eduxit, quam aut natura aut tempus afferret.

Item ea quoque, quae Cicero de part. or. 2, 6—2, 7 de hac re docuit, cum Antonii praeceptis maxime consentiunt; illic enim argumenta „sine arte" extrinsecus assumpta, quae remota appellavit, non multis exemplis, sed partitione tantum testimoniorum illustravit, atque ea, quae natura rebus ipsis infixa sunt, etsi ab eo non in quattuor genera dividuntur, sicut ab Antonio, tamen haud discrepant ab iis, quae modo ex de or. II, 39, 163—40, 173 cognovimus.

Restat unus locus, ubi de locis inveniendis agitur: de part. or. 9, 33—12, 43; sed is multum ab iis, quos adhuc attulimus, dissidere videtur, quia locos non „permixte et confuse",[2] sed constitutionum ordine expositos

1) cfr. de inv. II, 12, 38—42.

2) de inv. 1, 24, 34; 30, 49; II, 3, 11. Sicut enumeratio locorum, qua Cicero in primo librorum „de inventione" usus est, ab eo „permixta et confusa" appellata est, ita de ea quoque ratione, quam in locorum explicatione adhuc ex reliquis libris cognovimus, haud aliis verbis iudicari oportet.

continet. Illic enim Cicero coniecturae locos aut in verisimilibus aut in propriis rerum notis versari dixit; et verisimilia quidem ex personis, locis, temporibus, factis, eventis, rerum ipsarum negotiorumque naturis sumpsit, quas res iterum ab eo in partes minores distributas esse nobis vix commemorandum est; maximam autem fidem facere putavit exemplum, introductam rei similitudinem, fabulam. Sin ex propriis rerum notis loci sumuntur, vestigia facti, quaecunque exstant, proferenda esse docuit. In constitutione definitiva et genus exponendum est et proprietas; saepe etiam ex contrariis, dissimilibus, paribus definire debemus. Ubi vero de qualitate quaeritur, iure factum esse dicemus „depellendi aut ulciscendi doloris gratia aut pietatis aut pudicitiae aut religionis aut patriae nomine aut denique necessitate, inscientia, casu."

Itaque ex omnibus libris rhetoricis cognoscimus permultos esse locos, quos orator paratos habere debet, si ad dicendum accedit. Sed nihili est eos reperisse, nisi si verbis clarissimis diligentissimeque electis tractantur. Propterea Cicero saepius explicationi locorum statim brevia praecepta de eorum tractatione adnexit, quae maxime ad variationem orationis spectant, quoniam nulla alia re orator impedire potest, quominus ii, apud quos agit, audiendo defatigentur; nam „omnibus in rebus similitudo est satietatis mater" ait Cicero de inv. I, 41, 76, ubi huius rei tractatio exstat; quare l. c. oratoris esse dixit in argumentando tum inductione uti, tum ratiocinatione, cuius in partibus non semper eundem ordinem nec numerum retineri oporteret; tum etiam in expolitione singularum partium quam maximam variationem commendavit. Neque ea solum in hoc scripto praecepit, sed etiam pluribus locis aliorum librorum repetivit, ut de or. II, 41, 176—177, ubi Antonius eadem, quae rettulimus

praescripsit, seu de part. or. 13, 47, unde iterum nihil novi discimus, sive or. 36, 124—125, quo loco in „tenui causa etiam argumentandi tenue filum“ poscitur, in vehementi autem oratori permittitur, ut „latius se fundat animosque sic afficiat, ut volet.“

b. De reprehensione.

Reprehensio fit, cum orator ea, quae adversarius ante dixit et confirmavit, „argumentando diluere aut elevare“[1]) contendit. Cui Cicero nusquam, nisi in primo librorum „de inventione“, ut supra exposuimus, inter partes orationis suum locum dedit; illic autem eam a confirmatione omnino separatam tractavit.

Sed talem disiunctionem comprobare non possumus, cum defensor ad argumentationem accusatoris refellendam aut dissolvendam iisdem locis utatur,[1]) quos in ea parte collocavimus, ubi de confirmatione nobis agendum erat.

Refutatur autem omnis argumentatio, sicut Cicero de inv. I, 42, 79 praescribit, „si aut ex iis, quae sumpta sunt, non conceditur aliquid plurave, aut his concessis complexio [ex his] confici negatur, aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur, aut si contra firmam argumentationem alia aeque firma aut firmior ponitur.“ Quibus reprehensionis modis multae partes subiciuntur eadem ratione, qua in confirmatione locis argumentationis, in iisque semper fere id agitur, ut quaecunque adversarius contendit, ea aut negentur aut in contrariam partem convertantur; eas autem, sicut in aliis partibus, ita in hac quoque praeterire libet, quia de inv. I, 42, 79—51, 96 satis dilucide explicatae sunt.

Multo breviora vero et contractiora ea sunt praecepta, quae de hac re de part. or. 12, 44 exhibentur;

1) de inv. I, 42, 78. cfr. de or. II, 53, 215.

nam illic „aut totum negandum esse“ docuit, „quod in argumentatione adversarius sumpserit, aut redarguenda ea, quae pro verisimilibus sumpta sunt.“ Etiam haec duo genera reprehensionis iterum in partes minores distribuit, at eae prae illis paene innumerabilibus, quae exstant de inv. I, 42, 79—51, 96 perpaucae sunt.

c. Quomodo loci argumentationis in singulis constitutionibus controversiisque adhibeantur.

Quibus locis orator in singulis constitutionibus et controversiis optime aptissimeque in accusatione sive in defensione utatur rectius in altera parte officii oratorii, quam dispositionem esse scimus, explicatur; et haec quidem Volkmann[1]) suo iure fecit; nam ea, quae Cicero de hac re docuit, non tam ad locos inveniendos, quam ad inventorum delectum et ordinem pertinent. Sed nos, quoniam suscepimus ea colligere et exponere quae Cicero de inventione praecepit, facere non possumus, quin hanc rem explicemus.[2])

In prima constitutione igitur, quae est coniecturalis,[3]) Cicero de inv. II, 5,16—16,51 aut ex causa aut ex persona aut ex facto locos sumpsit. In causa quaerendum esse dixit, utrum res impulsione aliqua, i. e. „per quandam affectionem animi“ facta sit, an ratiocinatione, quam de inv. II, 5,18 „diligentem et consideratam faciendi aliquid aut non faciendi excogitationem“ appel-

1) „Rhet. d. Gr. u. R.“² p. 369 sequ. „Hdbch.“ ed. J. von Müller II² p. 661.

2) Hoc loco statim profitemur nos omnes locos huc transferre non posse, cum, ut saepius iam pronuntiavimus, nostrum esse non arbitremur Ciceronis libros ad verbum exscribere, id quod in hac quaestione fieri deberet, si minima quoque referre vellemus. Quare maxima tantum eaque, quae summam habent gravitatem, descripsimus.

3) cfr. p. 29 sequ.

lavit. Quae accusator de causa, quam semper amplificare et augere studebit, in reum proferre debet quaque ratione defensor accusationem infirmabit, ea exposita reperimus de inv. II, 5,19—8,28. Loci vero, qui ex persona capiuntur, ad eas res pertinent, quae personis attributae sunt.[1]) Quas hoc loco propterea silentio praeterire possumus, quia supra iam de iis, quantum oportuit, dictum est. Quemadmodum autem accusator et defensor iis uterentur, Cicero de inv. II, 10,32 sequ. aperuit; ubi illi improbationem accusati commendavit, huic autem id maxime agendum esse dixit, ut „aliqua nota et communia officia" rei ostenderet eaque ratione honestatem et auctoritatem eius servaret.[2]) Qui loci denique ex facto educuntur[3]) plane consentiunt cum iis, quos Cicero de inv. I, 26,37, „res, quae negotiis attributae sunt" appellavit quosque iam p. 82 attulimus; propterea eos hoc loco non repetamus. Sed saepe etiam suspitiones communiter et ex negotiorum et ex personarum attributionibus sumendae sunt, ut discimus de inv. II, 13,42; quarum in descriptione[4]) Cicero non, ut in locis ex causa et ex persona sumendis fecit, primum accusationem, deinde defensionem tractavit, sed coniuncte de iis egit, quia „infinitum esset tot de rebus utramque in partem singillatim de una quaque explicare."

Sunt autem praeter illos argumentorum locos, qui ei causae solum adiunguntur, quae dicitur, alii quoque, ut Cicero praecipit de inv. II, 15,47, qui transferri in multas causas possunt quique loci communes nominantur. Ii aut certae rei aut dubiae quandam continent

1) cfr. de inv. I, 24,34—25,36.

2) de inv. II, 9,28—11,37.

3) de inv. II, 12,38—42.

4) de inv. II, 13,43—14,46.

amplificationem.[1]) „Ac pars locorum communium," inquit Cicero de inv. II, 15,48, „per indignationem aut per conquestionem inducitur . . .; pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem."[2]) Atque ii quidem loci communes, quibus orator in constitutione coniecturali utitur, exstant de inv. II. 16,50—51.

Alia ratione de coniectura praeceptum est de part. or. 32,110—35,122. Quo loco oratori, si locos in re positos adhibere volet, duas maxime res perspiciendas esse discimus: causam et eventum.[3]) In causa accusator demonstrare debet rem factam illi, qui arguitur, utilitatem praebuisse ab eoque effici potuisse; ad suspitionem confirmandam etiam motus animorum considerabit. Maiorem autem suspitionem inferet, si eventus, i. e. consequentia signa et vestigia protulerit, quae multa enumerata videmus de part. or. 33,114. Quae si non exstant, loco communi dicet reum facillime indicia vitare potuisse, id quod defensor ita refellet, ut „audaciam temeritati, non prudentiae coniunctam esse" contendat. Si vero loci extrinsecus sumuntur, accusator testes laudabit iisque magis credendum esse ostendet, quam argumentis; deinde quaestiones quoque postulabit eorumque sententiam, qui eas infirmare conantur, refutabit et irridebit. Defensor autem in causa et utilitatem et facultatem elevare debet et consequentia ea, quae proferuntur, certa indicia esse negabit, itemque testes et quaestiones, si

---

1) cfr. de or. II, 22,68; III, 27,106; or. 15,47; 36,125—126; Brut. 12,46.

2) Qua re alii loci et loci communes inter se differant Cicero de inv. II, 16.51 hoc modo explicavit: „In illis enim finis est, ut id, quod dicitur, verum esse videatur, in his, tametsi hoc quoque videri oportet, tamen finis est amplitudo."

3) cfr. top. 23,87, ubi locis, qui ex causis et effectis sumuntur, ii adduntur, quos orator ex coniunctis promere potest.

afferuntur, reprehendet. Maxime autem in hac constitutione accusator animos permovere, defensor eos mitigare studebit.

Alteram constitutionem a Cicerone definitivam appellatam esse recordamur. In ea oratoris est vocabulum aut nomen, cuius de vi ambigitur, et breviter et aperte definire, adversarii autem descriptionem infirmare aut peiorem reddere eumque, qui de vi vocabuli, non de ipsa re disputaret, auditoribus in suspitionem adducere. Defensor item breviter nomen describet suamque definitionem confirmare, adversarii reprehendere debet; accusatorem autem loco communi arguet impudentiae, quia non solum rem, sed etiam vocabulum in suum commodum, rei autem incommodum convertere vellet.[1]) Locos autem in hac constitutione Cicero top. 23,88 ex consequentibus, antecedentibus, adiunctis sumendos esse docuit.

Tum de inv. I, 9,12 constitutio generalis profertur, de inv. II, 19,57—20,61 autem Cicero prius, quam ad eam transiit, translationem absolvit, quae perraro apud Romanos incidere solebat, sicut l. c. accuratius explicatum est. Attamen et accusator et defensor in ea explorare debent, „a quo et per quos et quomodo et quo tempore aut agi aut iudicari aut quid statui de ea re conveniat.“ Etiam loci communes adhibentur; nam aut is, qui actionem commutari vult, iudicium metuere dicitur, quia malam rem defendat, aut ei, qui translationi resistit, opponitur omnia perturbari, nisi res ea ratione agatur, qua oporteat.

Sequitur constitutio generalis,[2]) quae, ut supra vidimus, in duas partes distributa est. De prima, quae est negotialis, disputatur de inv. II, 21,62—22,68. Qua

1) de inv. II, 17,52—18,56, de part. or. 36,123—128.

2) de inv. I, 9,12. II, 21,62.

in constitutione omnes, quibus controversia est, iuris partes considerare debent. Constat enim ius, ut Cicero l. c. exposuit, ex tribus:[1]) natura, consuetudine, legibus. Naturae ius, „quod nobis quaedam innata vis attulit“ continet: religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem; adhibetur autem ad similitudinem aut ad rem amplificandam. In consuetudinis iure vero, „quod vetustas comprobavit,“ sunt et edicta praetorum et alia „quaedam genera iuris,“ ut pactum, par, iudicatum. „Iura legitima“ denique ex legibus intelleguntur. Ut in aliis, ita in hac quoque constitutione loci communes utilitatem praebent: imprimis Cicero „ab auctoritate iuris consultorum aut contra auctoritatem“ aliquid proferre commendat.

Secundam partem constitutionis generalis, cui nomen est iuridicialis, Cicero ita tractavit, ut prius „aequi et iniqui naturam,“ deinde „praemii et poenae“ rationem quaereret. Eam iterum in duas partes distribuit; quarum prima, quam Cicero absolutam appellavit de inv. I, 11,15 et II, 23,69 eosdem argumentorum locos habet, quos constitutio negotialis; loci communes autem in ea aut ex ipsa causa, aut ex iuris utilitate et natura promuntur.[2]) In secunda parte vero, cui Cicero nomen „assumptivam“, indidit de inv. I, 11,15 et II, 24,71 comparationem, relationem criminis, remotionem criminis, concessionem tractavit.

In comparatione,[3]) quae non solum ex suis locis argumenta sumit, verum etiam aliarum constitutionum praecepta adhibet, accusator eas res eaque facta, quae reus comparat, coniecturis faciendis infirmare debet; defensor autem eosdem locos ad suam utilitatem referet;

---

1) cfr. de inv. II, 53,160—54,162.

2) de inv. II, 23,71.

3) de inv. II, 24,72—26,78.

loci communes, quibus uterque uti potest, exhibentur de inv. II, 26,77.

Sicut in comparatione, ita in relatione criminis[1]) quoque accusator ex aliis constitutionibus ea, quae apta videntur, eliget; deinde illum, in quem crimen refertur, defendere eiusque peccatum cum eo comparare debet, de quo causa constituta est; accusatum autem „alterius iniurias iniuriis aut peccata peccatis ulcisci“ nullo modo debuisse demonstrabit, etiamsi iudicium de iis non factum esset, propterea, quod ea ratione omne iudicium perturbaretur. Defensor vero ea, quae accusator induxit, ut facultas feret, infirmabit eiusque factum, quod causa criminis fuisse dicitur, semper, quoad facere poterit, in peiorem partem rapiet; iudicium autem de eo fieri non opus fuisse explicabit, quia res iam per se manifesta et plane aperta fuisset. Quibus praeceptis Cicero de inv. II, 28,85—86 locos communes adnexit.

In remotione criminis aut causa aut res ipsa removetur. Causa[2]) cum in personam, tum in rem aliquam revolvi potest in eaque et accusator et defensor ex iis, quae adhuc protulimus, sumant oportet, quae utilitatem praebent; ille personam defendet eiusque peccatum, quod reum ab officio decedere non coegisset, separatim quaerendum esse contendet; huic vero omnis culpa in alium conicienda est, cum a reo omnia facta essent, quae fieri potuerint. Sed, si causa in rem reicitur, illorum praeceptorum omnia, quae ad personam pertinent, relinquenda, cetera eadem ratione adhibenda sunt. Locos communes, qui in causis eiusmodi proferuntur, cognoscimus de inv. II, 30,91. Atque etiam ipsa res[3]) removeri potest, si reus id, quod fecisse insimulatur, „neque ad se neque ad officium suum pertinere“ dicit. Quod

1) de inv. II, 26,78—28,86. 2) de inv. II, 29,87—30,91.
3) de inv. II, 30,87—30,91.

si evenit, adversariis ex omnibus partibus honestatis et utilitatis, exemplis, signis, ratiocinando, quid cuiusque iuris, officii, potestatis sit," quaerendum est; locos communes autem ex ipsa re sumi oportet.

Concessionem denique Cicero in duas partes divisit: in purgationem et deprecationem. In purgatione,[1]) cui imprudentiam, casum, necessitudinem subiecit, ut cognovimus p. 30, accusator maxime suspitione uti debet et definitionibus demonstrabit rem non imprudentia aut casu aut necessitudine, sed consulto aut „inertia aut neglegentia aut fatuitate" gestam esse; ostendet etiam, quemadmodum reus facillime cavere potuisset, ne illud fieret et exempla proferet, ubi in simili re non ignotum sit; defensor autem eadem in contrarias partes convertet; sequuntur, ut in reliquis constitutionibus, loci communes de inv. II, 33,101—103. In deprecatione[2]) vero reus beneficia sua maiorumque suorum proferet et polliceri debet „sese omni tempore hoc peccato doctum a tali ratione afuturum esse;" tum nobilitatem generis aliaque, quae ad honestatem valent, commemorabit aliisque maiorum scelerum veniam datam esse demonstrabit; locis communibus autem misericordiam a iudicibus petet, id quod maxime proderit, si „se in potestate misericordem fuisse ostendet," quae omnia accusatori neganda aut deteriora reddenda sunt.

Haec sunt quae Cicero de aequi et iniqui natura in causa iuridiciali praecepit; sed quae de praemii et poenae ratione explicanda pollicitus est, non satis perfecit. Quamquam enim expressis verbis de inv. II, 37, 110 dixit: „Restat ut de praemio et de poena explicemus", tamen in iis, quae sequuntur, solum de praemiis disputavit eorumque locis, qui ex quattuor partibus eruerentur:

---

1) de inv. II, 31,94—33,103.
2) de inv. II, 34,104—36,109.

ex beneficiis, ex homine, ex praemii genere, ex facultatibus. De poena vero nusquam aliquid docuit.

Nos autem omnino ea, quae in hac parte exposuit, falso in constitutione iuridiciali, quae est generis iudicialis, explicata esse arbitramur neque ratio, quam ad sententiam suam probandam de inv. II, 37, 110[1]) attulit, nobis persuadere potest. Nam etsi concedimus apud iudices nonnunquam de praemio accusatorum quaeri posse, tamen summopere negare debemus tales quaestiones generi iudiciali subiungendas esse, quia in iis sententiae aperiuntur, genus iudiciale autem, ut Cicero ipse de inv. I, 5, 7 dixit, „positum in iudicio habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem;" si vero l. c. genus deliberativum in se sententiae dictionem habere dixit, non esse putamus, cur quaestiones de praemio, etiamsi apud iudices habentur, a genere deliberativo secernantur.

In aliis autem scriptis rhetoricis de constitutione qualitatis non eadem ratione actum esse, quam modo cognovimus, statim ex eo apparet, quod Cicero in iis, ut p. 32 sequ. exposuimus, partes paene innumerabiles reliquit, quapropter paucis verbis rem illic absolvere potuit.

Quae enim de inv. II, 22, 65—68 sub constitutione

1) de inv. II, 37, 110 haec scripta videmus: „Ac neminem conveniet arbitrari nos, cum aliquod exemplum ponamus, quod in senatu agatur, ab iudiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim de homine probando aut improbando dicitur, cum ad eam dictionem sententiarum quoque ratio accommodetur, id non, si per sententiae dictionem agitur, deliberativum est; sed, quia de homine statuitur, iudiciale est habendum." Miram subtilitatem qua Cicero genus iudiciale et deliberativum distinxisse sibi visus est! At nos illud discrimen comprobare non possumus, quod prorsus puerile — nam hoc vocabulo pluribus locis usus est, ubi ei aliqua Graecorum doctrina displicuit — nobis videtur.

negotiali de iure eiusque partibus docuit, ea similiter de part. or. 37, 129 sequ. praescripsit et postulavit, ut orator ea semper memoria custodiret. Divisit autem l. c. ius in naturam atque legem, utramque deinde in divinum et humanum ius sive in religionem et aequitatem; propriam autem legem distribuit in scriptam atque in eam, „quae sine litteris aut gentium iure aut maiorum more retinentur," quarum partes hoc loco persequi non opus esse existimamus.[1])

Alia vero Cicero top. 23, 89—90 praecepit. Illic enim in qualitate ad tria illa genera, deliberativum, demonstrativum, iudiciale spectavit. Si de expetendo fugiendoque quaereretur, „aut animi aut corporis aut externa vel commoda vel incommoda" adhibenda esse dixit; si vero de „honesto turpique" disputaretur, animi bona et mala; si denique de aequo et iniquo, aequitatis locos considerandos esse; quos in naturam et institutionem partitus est, quarum illam tuitionem sui et ius ulciscendi continere, hanc in tres partes dividi discimus: in legitimam, convenientem, moris vetustate firmatam. Aequitatem ipsam autem ad superos deos, ad manes, ad homines pertinere dixit ita, ut pietas, sanctitas, iustitia aut aequitas existerent.

Atque etiam eos locos Cicero exposuit, qui oratorem in controversiis ex scripto nascentibus adiuvant.

Si ex ambiguo[2]) controversia fit, ostendemus omnes

---

1) Paullo ante, de part. or. 28, 100 Cicero de iure civili egit; quod in legem et in morem divisit, legem autem partim in privatis rebus, partim in publicis versari dixit. Quibuscum si comparamus ea, quae supra attulimus, statim intellegimus hanc iuris civilis partitionem proxime ad eam accedere, qua illic in „lege propria" usus est.

2) de inv. II, 40, 116—41, 121; de part. or. 38, 132—133.

id, quod accipi volumus, iisdem verbis, quibus scriptor usus esset, exprimere solere idemque ex iis, quae antecederent quaeque sequerentur aut ex aliis scriptis vel dictis auctoris patere; deinde demonstrandum est ea, quae adversarius sentaet, „multo minus commode fieri posse“ nec parem utilitatem, honestatem, necessitudinem habere, quam quae nos intellegimus, aut ea iam in alia lege scripta esse; etiam quae auctor nostra sententia scripsisset, si ea significare voluisset, quae adversarius diceret, proferre possumus nec tempus, quo illud scriptum est, mediocre putare debemus; denique occasio amplificandi, si dabitur, non praetermittenda est.

Deinde controversia fit ex scripto et sententia.[1]) In ea qui scriptum defendet scriptorem ita laude cumulabit, ut nihil nisi quod ab eo scriptum esset, fieri oporteret; deinde factum eaque, quae adversarii volunt, cum scripto comparare debet. Contra proferetur auctorem alia scripsisse alia sensisse, aut „causa assumptiva inferetur, quamobrem scripto non potuerit aut non oportuerit obtemperari.“ Si unum alterumve ex his duobus dicitur, scriptum permultis locis defendi potest: sic auditoribus persuadere conabimur scriptorem voluntatem suam verbis facile intellegendis expressisse nec eam subtilibus et argutis argumentationibus investigari voluisse; multum autem Ciceronis sententia proficiet, si ex his aliquid accuratius exponetur: aut „nulla in lege ullam causam contra scriptum accipi convenire,“ aut „si in ceteris legibus conveniat, in hac non oportere,“ aut „si in hac quoque lege oporteat, hanc quidem causam accipi minime oportere;“ quae tria satis dilucide explicata videmus de inv. II, 44, 129—46, 137. Qui vero sententiam legis sequitur, aequitatem causae demonstrabit neque

1) de inv. II, 42, 121—48, 143; de part. or. 38, 133—39, 137.

ullam legem peccatum aliquod adiuvare contendet scriptoremque, si exsistat, suas partes secuturum esse; iudices non „scripti recitatores, sed voluntatis interpretes“ esse debere; praeterea utilitatis et honestatis locis ad suam sententiam comprobandam utetur semperque non verba, sed sententiam legis gravitatem habere disseret; haud sine commodo denique „ex scriptura aliquid ad suam causam convertet.“ Loci communes autem, qui maxime ad hanc controversiam accommodantur, de inv. II, 48, 143 explicantur.

Sin contrariae leges[1]) controversiam faciunt, ab utroque oratore iidem loci adhibebuntur. Est autem quaerendum, utra lex maiorem utilitatem gravitatemque habeat, utra ad omne genus, utra ad partem solum pertineat; deinde demonstrabimus nostram legem ipsis verbis cognosci neque alteram, si nostra acciperetur, neglegendam esse, id quod fieri necesse esset, si res in contrariam partem converteretur. Loci communes autem ex utilitate et honestate sumentur.

In controversia ex ratiocinatione[2]) aliquid infertur, quod non scriptum est; id autem confirmare debemus cum eoque, quod constat, ita comparare, ut ab omnibus concedi oporteat; tum dicemus legislatorem illud propterea in scripturam non recepisse, quod ex ceteris verbis intellegi arbitratus esset atque idem in aliis quoque legibus factum esse demonstrabimus. Contra dicetur illud, quod adversarius iniecisset, plane a scripto discrepare, ubi res explicandae sunt, quae differentiam satis dilucide ostendunt; deinde quod non scriptum esset considerari non debere contendemus, nisi ratiocinationibus, quae nobis proficiunt, uti poterimus. Denique ne

---

1) de inv. II, 49, 144—147; de part. or. 39, 137—138.
2) de inv. II, 50, 148—153.

in hac quidem controversia loci communes praetermittendi sunt.

Restat definitio;[1]) ubi Cicero nihil novi praecepit, sed legentes ad locos in constitutione definitiva tractatos delegasse satis esse existimavit.

5. De conclusione.

Exitum et determinationem totius orationis Cicero de inv. I, 52,98 conclusionem vocavit, quo vocabulo etiam de or. II, 81,332 usus est, cum aliis locis hanc partem perorationem appellaret.[2]) Quam de inv. I, 52,98 in tres partes distribuit: enumerationem, indignationem, conquestionem, de part. or. 15,52 autem duas tantum ei subiecit: amplificationem et enumerationem. In enumeratione gravissima eorum, „quae disperse et diffuse" dicta sunt, paucis verbis repetantur oportet, quo melius ab auditoribus retineantur.[3]) Sed cavendum est oratori, ne similitudine eos, qui audiunt, defatiget, quare quam maximam varietatem adhibere debet; quam efficiet, ut discimus de inv. I, 52,99—100, primum si „ex sua persona" ea, quae dixit, collegerit, deinde si „aliam personam aut rem aliquam" breviter illa enumerantem et redintegrantem fecerit. Et duabus quidem in rebus Cicero hanc partem conclusionis adhiberi vult de part. or. 17,59: „si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis vel longitudine orationis aut frequentatis firmamentis orationis et breviter expositis vim est habitura causa maiorem."

Indignatione autem, quae in primo librorum „de inventione" altera pars conclusionis facta est, Cicero

1) de inv. II, 51,153—154; cfr. p. 93.

2) Brut. 51,190; 57,209; or. 35,122; 36,127; 37,130; de part. or. 1,3; 5,15; 15,52; top. 26,98; de or. II, 19,80 autem utrumque vocabulum adhibitum videmus.

3) de inv. I, 52,98; 52,100; de part. or. 17,60.

locis confirmationis, qui ex personarum et ex negotiorum attributis sumuntur, et odium in hominem et offensionem in rem excitari dixit; quindecim locos autem, quos praeterea de inv. I, 53,101—54,105 attulit, maxima ex parte in praeceptis de constitutionum locis, si non iisdem verbis eodemque ordine explicatos cognovimus, attamen hic illic similiter significatos invenimus; saepe enim iam in argumentatione orator iracundiam, odium, invidiam excitare studet; at in hac conclusionis parte omnes loci id spectant, ut illae affectiones animi quam maxime amplificentur et augeantur. Atque sicut indignatio imprimis eos locos adhibet, qui accusatori plerumque attributi sunt, ita in conquestione, qua orator iudicum misericordiam sibi aut reo comparare studet, non sine incommodo sunt plurimi eorum locorum, quos paullo ante defensori praescriptos didicimus; itaque illi quoque sedecim loci, quos Cicero de inv. I, 55,106—56,109 enumeravit, nihil vel minimum tantum novi praebent; semper autem orator in conquestione atque in misericordia comparanda eadem ratione, qua in indignatione, amplificationem in usum suum conferet.

Videmus igitur oratori in conclusione summopere id studendum esse, ut affectiones animi excitet animosque eorum, apud quos dicit, permoveat sicut volet; quae, quamquam etiam in aliis orationis partibus fieri debent,[1]) tamen nusquam tantam gravitatem et utilitatem habent, quantam in conclusione. Quare Cicero de animis inflammandis, restinguendis, quocunque modo commovendis multis locis dixit;[2]) e quibus unum solum ad verbum exscribere volumus, quia ex eo optime Ciceronis sententia de hac re cognoscitur; scripsit enim or. 38, 131:

---

1) de or. II, 47, 196.

2) de or. II, 81, 332; or. 35, 122; 37, 128; de part. or. 5, 15; top. 26, 98—99.

„Nec vero miseratione solum mens iudicum permovenda est ... sed etiam est faciendum, ut irascatur iudex, mitigetur, invideat faveat, contemnat admiretur, oderit diligat, cupiat satietate afficiatur, speret metuat, laetetur doleat.“[1]) Quas res autem orator efficere non potest, nisi, ut Antonius de or. II, 45, 189 docet, „in ipso omnes illi motus, quos adhibere volet iudici, impressi esse atque inusti videbuntur;“[2]) orationem vero, qua animos incendere sibi proposuit, vim habere atque „ardentem ad eos pervenire oportet“, quos inflammare vult.[3])

De part. or. 15, 52 autem altera pars conclusionis seu perorationis nec indignatio nec conquestio nec alia quaedam animi permotio vocata est, sed amplificatio,[4]) quae aliis quoque locis in conclusione postulata est.[5]) Sed de ea nusquam, nisi de part. or. 15, 52—17, 58 aliquid accuratius praescribitur. Illic enim Cicero „affirmationem, quae motu animorum conciliaret in dicendo fidem“ — sic enim definivit amplificationem[6]) — duobus confici dixit: et verborum genere et rerum. Quorum in locis adhibendis oratori semper iudicandum et pendendum esse sensit, qui ad amplificationem efficiendam essent maxime idonei; nam a defensore plerumque misericordiam, ab accusatore iracundiam excitari debere; saepe autem

---

1) simillime Brut. 50, 188; cfr. de or. II, 51, 206 sequ., ubi etiam nonnullos locos, quibus motus animorum excitari solent, explicatos invenimus.

2) cfr. de or. II, 47, 195, quocum loco comparari debet de or. II, 28, 124.

3) de or. II, 29, 129; or. 38, 132.

4) Amplificationem etiam in reliqua oratione adhiberi posse, id quod Cicero de part. or. 8, 27 docuit, hac re non negatur.

5) de or. II, 81, 332; or. 36, 127; top. 26, 98—99.

6) cfr. rationem, qua de part. or. 8, 27 amplificationem definivit: „est enim amplificatio vehemens quaedam argumentatio, ut illa [sc. fides] docendi causa sit, haec commovendi.“

Ciceronis sententia res prorsus mutata est ita, ut accusator iudicem mitigare, defensor eum inflammare debeat.

De ioco et facetiis.

Nondum omnia protulimus, quae Cicero de inventione docuit, nam de or. II, 54, 216—71, 289 sub hac parte iocum quoque et facetias a Caesare tractatas videmus, e quibus orator saepe uberrimmum fructum percipit quibusque adversarium summo detrimento afficere potest; quare necessitatem hic illic iocandi pluribus locis expressam videmus.[1]) Quae de iis praecipiuntur, ea Volkmann[2]) perorationi subiecit; sed iniuria, quemadmodum nostra fert opinio; nam intellegere non possumus, cur facetiae solum cum conclusione coniungantur quibusque de causis in aliis orationis partibus adhiberi non possint, praesertim in confirmatione et reprehensione, ubi persaepe alter alterius sententiam haud sine acerbis asperisque facetiis irridebit atque illudet. Quare nos illa praecepta nulli orationis parti subiungi volumus; ad finem vero huius de „inventione" explicationis ea perlustramus propterea, quod iocum in omni orationis genere[3]) et parte suum locum habere putamus neque tamen ei tantam vim tribuere potuimus, ut priusquam de gravioribus dictum esset, eum initio „inventionis" exponeremus.

Distribuuntur igitur de or. II, 54, 218 facetiae, quibus orator sine incommodo uti potest, in cavillationem,[4]) quae „aequabiliter in omni sermone fusa est", atque in dicacitatem,[4]) quae est „peracuta et brevis"; or.

1) de or. I, 5, 17; 34, 159; 57, 243; II, 58, 236; 83, 340 cfr. or. 26, 87.

2) „Rhet. d. Gr. u. R."[2] p. 284 sequ.

3) cfr. de or. II, 67, 271.

4) de or. II, 54, 218; 59, 239; 61, 248; 62, 252.

26,87 autem Cicero sales in facetias et dicacitatem divisit, quarum illae eadem significant ac cavillatio. Locos ridiculi Caesar turpitudinem et deformitatem esse dixit; ex iis orator occasione data sumat iocos, sed caveat, ne quem illudat, qui aut misericordia dignus est aut ab omnibus diligitur, neve iocus „aut scurrilis[1]) aut mimicus[2]) fiat aut improbus aut inhumanus.[3])

Versantur autem facetiae, quae proferuntur in oratione aut in re [= cavillatio], aut in dicto [= dicacitas];[4]) illius duo sunt genera, quorum in altero „aliquid tanquam fabella narratur", alterum „ex depravata imitatione sumi solet"; in hoc vero ridiculum verbo aut sententia efficitur, ubi oratori videndum est, ne quem non vult illudat, quia iocus ea re scurrilis fit neve illud facete dictum cogitatum aut arcessitum esse videatur; etiam temporis orator in hoc genere iocandi diligentissimam rationem habere debet.[5]) Sed multo maiore delectatione auditores afficiuntur, si duo illa ridiculorum genera inter se coniunguntur.

Facetiae, quae in dicto positae sunt, maxime auditorum sensus movent, si verbis ambiguis orator in iis utitur; sed non tam risum eliciunt, quam admirationem. Quarum genera invenimus exposita de or. II, 63,255—65,263; potest enim orator aliud dicere, cum aliud expectetur aut ex verbi immutatione iocum sumere aut versum versusve partem interponere; deinde risum movebit, si „rem non ad verbum, sed ad sententiam accipere videtur, aut ex immutata oratione aut ex unius verbi translatione

1) de or. II, 59, 239; 60, 244; or. 26, 88.
2) de or. II, 59, 239; 59, 242; or. 26, 88.
3) or. 26, 88.
4) cfr. de or. II, 54,218; 59,239; 61,248; 62,252.
5) cfr. or. 26,89.

aut ex inversione verborum;“ denique etiam verba contrarie relata huic generi attribuenda sunt.

Quae vero facetiae in rebus versantur maioremque hilaritatem excitare solent, earum plura sunt genera, quae Caesar de or. II,66,264—71,288 enumeravit; sed ea hoc loco omnia proferre longum est neque huic dissertationi consentaneum, quoniam in hac re nihil aliud facere possemus, ac Ciceronis vel Caesaris verba ex tota illa explicatione transferre, id quod nostrum esse non putamus. Quare satis esse videtur ea tantum verba exscribere, quibus Caesar omnia, quae de facetiis huius generis praecepit, breviter complexus est; dixit enim de or. II, 71,289: „Haec autem, quae sunt in re et [in] ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis et similitudine turpioris et dissimulatione et subabsurda dicendo et stulta reprehendendo risus moventur.“

Explicavimus quae Cicero in scriptis rhetoricis de prima parte officii oratorii docuit. Si vero nobis non contigit, ut totam artem rhetoricam in hac dissertatione absolveremus eaque re Ciceronem adulescentulum praecederemus, qui, cum ad scribendum se conferret, item in primo opusculo ceteris partibus relictis „inventionem“ tantum pertractavit, illud certe nos maxime iuvat eadem perfecisse, quae ille in libris „de inventione“.

Errata.

Lege p.	4	v.	18	quaestionem	pro	quastionem.
„ „	25	„	17	officio oratoris	„	materia artis.
„ „	36	„	23	sequ.	„	sequi.
„ „	41	„	5	depulsione	„	impulsione.
„ „	43	„	20	continent	„	continet.
„ „	77	„	19	nos ad	„	nos.

Theses.

1. Cic. de inv. II, 50, 150 cod. Bernensis rectissime vocabulum „**communes**“, quod habent reliqui codd., omisit; est igitur scribendum:

   Locos auetm in hoc genere . . .

2. Catull. c. 67 v. 12 sic emendandus esse videtur:

   Verum isto **in** popul**o** ianua qui**dque** facit.

3. Ter. Ad. v. 224 lego:

   Dum **ne** obsequare.

4. Soph. Ai. v. 601—603 ad hunc modum restituendi sunt:

   Ἰδᾶς σε μίμνω λειμῶνι πόᾳ τε μή —
   λων ἀνήριθμος αἰὲν εὐνώμᾳ
   χρόνῳ τρυχόμενος . . .

Vita.

Fridericus Guilelmus Ludovicus Heinicke natus sum a. d. XI. Cal. Apr. anni h. s. LXVIII Berolini patre Ernesto, matre Maria e gente Blochwitz, quibus adhuc vivis ex animi sententia laetor. Fidem profiteor evangelicam. Inde a vere anni LXXIV frequentavi gymnasium regium Colbergae, quod oppidum amoenissimum initio anni LXXXVI reliqui, cum parentes sedem Regimontium Boruss. transferrent; ubi in primam classem celeberrimi „Collegii Fridericiani" receptus post XIV menses maturitatis testimonium adeptus sum. Vere anni LXXXVII, civibus academicis almae litterarum universitatis Albertinae adscriptus et nomen apud philosophorum ordinem professus sum. Per novem semestria philologicis studiis potissimum operam navavi. Sodalis fui proseminarii regii per quattuor semestria, per tria seminarii regii. Docuerunt me viri illustrissimi

Friedländer, Hahn, Hirschfeld, Jeep, Ludwich, Schöne, Thiele, Walter.

Quibus viris omnibus optime de me meritis hac occasione data gratias ago maximas nec unquam eos grato animo colere desistam.

Examen, quod vocant, rigorosum a. d. V. Cal. Aug. h. a. absolvi.